

Q. F. F. F. Q. S.

QUÆSTIONES MEDICÆ
DUODECIM,

A B

ILLUSTRISSIMIS VIRIS

R. D. PETRO RIDEUX DECANO
Venerando, ANTONIO MAGNOL, HENRICO
HAGUENOT, JACOBO LAZERME,
ANTONIO FIZES, FRANCISCO DE
SAUVAGES, Regis Consiliariis Medicis, &
Professoribus Meritissimis.

PROPOSITÆ


IN AULA EPISCOPALI MONSPELIENSI
coram Illustrissimo ac Venerabili D. D. FRANCISCO
LE NOIR, Theologiæ Doctore, Canonico, Theologo, &
Archidiacono majore Ecclesiæ Cathedralis Monspelien-
sis, Abbate Sancti Salvatoris Lodovensis, Vicario Generali &
Officiali.

Pro Regiâ Cathedrâ vacante.

Per Obitum R. D. GERARDI FITZ-GERALD, Regis Consiliarii,
Medici, & Professoris Meritissimi.

*Quas, Deo favente, & auspice Dei-parâ, propugnabit in Augustissimo Monspe-
liensi Apollinis Fano, triduo integro; manè & serò, diebus 21, 22, & 23
mensis Augusti anni 1749.*

FRANCISCUS IMBERT, D. M. MONSPELIENSIS.



MONSPELII,

Apud AUGUSTINUM - FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Universitatis
Medicinæ Typographum unicum. 1749.

DEO
UNI ET TRINO,

A C

BEATÆ VIRGINI

DEI-PARÆ,

D. D. D. C.

FRANCISCUS IMBERT.



QUÆSTIO PRIMA.

*AN SINGULTUS QUICUMQUE HABENDUS SIT
tanquam conamen naturæ in morbos à quibus hicce pro-
ducitur? Et sub eo respectû, an illud symptoma sit con-
servandum vel fugandum.*



NATURA, vox in Medicinâ veteri maxime æquivo-
ca, magis constanter apud neotericos dicitur actio re-
ciproca solidorum & fluidorum machinam humanam
constituentium. Sana natura, facile & constans, absque
molestiâ aut defatigatione peractum supponit omnium
functionum humanarum exercitium.

Morbosa natura, unius aut plurium functionum munia læsa, deprava-
tumque exercitium necessario secum importat.

Individua corporis viventis, sani aut morboli comes natura,
ideo apud nos mortem ponit, quia absens est. Hinc quæ sana dicitur,
sibi semper similis, eo gaudet perfectionis gradû qui unicuique
temperamento congruit: multiplex econtra, diversisque sub respecti-
bus considerata venit morbidæ naturæ conditio.

Nullum agnoscimus sanæ naturæ conamen, (†) tunc enim facilis
existit sanguinis, lymphæ, humorumque cæterorum per vasa pro-
pria itus & reditus; scilicet per liberos ductus arteriosos cor prima-
rium corporis movens liquida sua propellit, & facile humores redu-
ces per vasa venosa recipit. Nihil ergó opus est naturæ adauctis viri-
bus, ubi nulla ipsius conaminibus excitandis offertur resistentia.

[†] Conaminis nomine proprié intelligendus venit motus resistentis insolitis
vincendis adauctus.

Adactam in morbis solidorum fluidorumque actionem demonstrant frequentia eaque evidenter morbosa Phœnomena. Materiei & causæ morbificæ expulsio destructiove terminus est & finis horum naturæ conaminum; unde optime, sub hoc respectu, ab artis magistris definitur morbus. (a) *Naturæ conamen materiæ morbificæ exterminationem in ægri salutem omni ope molientis.*

In morbis vulgatissimis, ut in febribus intermittentibus & continuis, inflammationibus, morbis convulsivis, soporosis affectibus, ashtmate, tussi aliisque niti videtur natura, & prædictam moliri exterminationem, evidenter modò, modò furtim, plus minusve violenter, periodicè, erraticè, constanter, per breviora longiorave intervalla, quod semper, faustis ægrotanti avibus, non peragitur, in quantum erroribus obnoxia natura motus edit quandoque destruendis causis morbificis, sanitatiqve restituendæ parum habiles. Tales erroneas agnoscō naturæ administrationes: 1^o. Dum ea ab ignobiliore viscere ad nobilius, per translationem seu per metastasim propellit materiem morbificam, pessimarum mutationum in morbis fons & origo: 2^o. Cum per diversa colatoria, ad inanitionem usque, expelluntur humores, ut in pluribus evacuationibus symptomaticis, alvi fluxibus, hæmorrhagiis, &c. 3^o. Quoties à nativis ad ignotas alienasque vias diversi humores amandantur: uti videre est in inflammationibus in quibus pars sanguinis rubra intra vasa lymphatica adigitur, urinæ materies ad encephali, pulmonum, aliorumve viscerum vasa properare cogitur. 4^o. Errat & quoque natura, dum eâ, causam stimulantem expellere vividius intendente, ad tantum postmodum contractionis gradum solida evehuntur, ut subsequantur eorumdem crispatio, fluidorum immeabilitas, morbi innumeri.

Ea verò felicissima censenda sunt naturæ conamina, quibus penitus eliminatur aut destruitur morborum fomes, per actiones peculiare & varias naturæ variis se se circumstantiis accommodantis: hac ergo indigitatâ morborum innumerabilium, naturâ adjuvante, curabilium theoriâ, nunc quid singultus? An semper sit naturæ conamen? An sub eò respectu sit fugandus aut servandus perpendendum est.

SINGULTUS affectio maximè obvia, sanos æque ac ægrotantes invadens nunc levem molestiam, nunc verum eumque sæpè gravem morbum constituit. Etsi frequentissimus singultus morbosus, de quo potissimum hic quæstio, non ita tamen cognitæ sunt genuinæ ipsius causæ quin in iis indagandis frustra plures insudarint, pauci metam attigerint.

Practice definiri potest utcumque sonora, subita, ac vehemens inspi-

(a) Sydenham. de morbis acutis in genere tom. I pag. 1.

ratio per intervalla recurrens, cum notabili, celeri, ac veluti spasmodicâ epigastrii intromissione.

Spirituum impetus per nervos, ad diaphragma aliaque organa inspiratoria tendentes vela pandit quibuscumque singultus symptomatis. Numquam in stomachò ponenda illius sedes, etiamsi fatendum sit frequentissime hunc morbum excitari ab afflictò ventriculò. Convulsam diaphragma, non uniformi & facili fibrarum carnearum motû, sed promptâ & violentâ actione, inter inspirandum contrahitur; non leni sed quasi saltuoso impetu explicantur pulmones; interruptis undulationibus aer ruit in pulmonales vesiculas; valida fit aeris collisio ad limbos glottidis vibratiles. Eadem necessario eventura ob convulsas carneas cæterorum organorum inspiratoriorum fibras, patet evidentissimè, ex cognitis structurâ muneribusque partium.

Ibi igitur verosimilius ponenda sunt singultûs cunabula. Nihil ex se facit ventriculus ad respirationem, tum in sano, tum in morbofo statu; ergo causam simpliciter non instrumentum singultus suppeditat. Falso, tanquam conditio necessaria hujus morbi irritans materia semper supponitur, cum diaphragmatis vulneribus simplicibus supervenire singultum, notissimum sit. An a vehementi, subitâque aëris inspiratione incipiens singultus per fortem expirationem terminatur? An nondum finitâ priori expiratione vehemens datur inspiratio? An vero totum negotium absolvitur inspirationis tempore? Medicos inter controversiarum seges uberrima & difficillime solvenda quæstio!

Ultimæ opinioni eo lubentius adstipulamur, quod. 1o. Costas elevari musculosque abdominales antè propelli, & tactu & visu observemus. 2o. Quod ne minima quidem aëris undula tempore singultûs efflatur, sed econtra ad glottidem aër exterior tunc temporis impetuose ruat, unde momentaneæ in singultientibus strangulationis species.

Variâ sub larvâ se prodit hic affectus: sanos quandoque aggreditur intactisque functionum muneribus illico sæpissime recedit. Morbosus evadit, si durabilis respirationis negotium interturbet. Sæpius recurrens tum periodicè tum erraticè, inter status morbosos annumerandus, etiamsi mitissimus. Spasmos aliquoties universales particularesque comitatur, complicati singultûs nomine cognitus. Rariores sunt singultûs morbofi idiopathici, symptomatice frequentiores. Sæpius idiopathico singultû laborant sani, nunquam symptomatice; frequentissima est singultûs sympathici species, ut ex Authorum patet observatis. Vel nullo vel levi Medicinæ auxilio fugatur qui absque functionum læsione evenit; artem medicam efficacissimam exoptulat & sæpè eludit morbosus.

Aquæ frigidæ & nitrolæ potatione excitatum singultum comme-

morat timæus. (a) Quod quotidianâ observatione confirmatum quifque potest advertere. Inædiâ, frigore, itineris laboribus morbus ille gignitur; huic fræquentius ansam præbent nimia ciborum ingurgitatio, lac acescens in ventriculo, aut ejus vellicans orificium superius, (b) emetica purgantiâque vehementiora, validior narium irritatio ab acido fortiori ut à spiritu (c) vitrioli, vigiliæ nimix, assumptorum venenorum vis, primarum viarum cruditates, vermes ibi hospitantes, ut infantibus familiare est, evacuationes immodicæ ut profusæ hæmorrhagiæ quæ juvenibus & adultis, hypercatharses quæ hoc in casu maxime in senibus sunt periculosæ; flatus, vapores, humores biliosi causæ sunt singultus non infæquentes. Hunc aliquando procreatum fuisse ab ictibus, vulneribus, concussionibus capitis norunt practici. Non raro comitatur passionem melancholicam (d) histericam, delirium, convulsionem. Unde suspicandi locus unam eandemque tunc adfuisse melancholiæ, hysteriæ, delirii, convulsionum singultusq. causam.

Quam variæ, quam multiplices sese offerunt hujusce morbi occasiones observatorum annales evolventi! nullum ferme inter viscera abdominalia numeraveris quod inflammatum singultui occasio non fuerit. Hunc enim produxere non raro vesicæ urinariæ, renum, (e) uretherum, intestinorum, (f) ventriculi, hepatis, splenis inflammatio. Hunc produxere tumores, diaphragma ventriculumq. comprimentes.

Alia etiam rariora singultuum exempla observatores commemorant. Singultuosi apertum cadaver miram exhibuit (g) concavi hepatis cum dextrâ ventriculi extremitate adhæsiõnem; liquamen subcruentum in ventriculi cavo latitabat. Ob frigidæ ingurgitationem germanus quidam in singultum incidit qui remediis tandem sedatus, cum primum quis vel vestis vel pallii fimbriam (h) summo digito attingeret, denuo suscitabatur. Ab omento (i) ita aucto ut quatuor aut quinque libras ponderaret, sic deorsum distractus fuit ventriculus ut varios exinde obortos singultus mors fuerit subsecuta. In Studiosi cadavere, qui per vitam graves singultus erat perpeffus, sese prodidit

(a) Timeus I. pag. 115.

(b) Bonet. sepulchr. tom. 2. pag. 41.

(c) Hecquet sur le hocquet. chap. XV. pag. 329.

(d) Hoffman fréd. consult. tom. 2. pag. 219. 205; 247.

[e] Bonet sepulchr. tom. 2. pag. 41.

[f] Ibidem.

[g] Ibidem.

[h] Riverii. obs. morb. infreq. in 4. pag. 278.

[i] Bonet sepulchr. tom. 2. pag. 42.

omentum in (a) sinistra pectoris cavitate. Præterea nemo est qui nesciat singultum esse præcipuum inflammati & vulnerati diaphragmatis, orificiique superioris ventriculi symptoma.

Jam verò relatas singultus causas attente perpendenti, pronum est concludere, causam ejus proximam nihil aliud esse, quam spirituum animalium ad musculos diaphragmatis aliosque inspiratorios convulsivum impetum; sive mediatè sive immediate vellicentur harumce partium nervi; imò & intacto organo, solam imaginationis vim effectus idem subsequetur.

Orificium superius ventriculi, ipsique continua æsophagi extremitas, quæ carneam, inferiorem ovalemque subit diaphragmatis aperturam, plexu coronario circumcingitur, orto, ab octavo pari, & cum plexibus Hepatico splenicoque, & cum ganglionibus semilunariibus insigniter communicante. Nervi diaphragmatici proprie dicti, cæterique quos habet diaphragma à plexibus prædictis & à magno sympathico, intime quoque uniuntur cum plexu coronario. Hoc norunt anatomici. Exinde quam facilis symptomatum singultus explicatio! sive causa ipsius sit in ventriculo maxime sensibili membranâ donato, sive in ipsamet diaphragmatis substantiâ, sive in diversis corporis locis imo remotissimis, modò, quod a nemine negari potest, concedatur harumce partium cum plexibus nerveis jam enumeratis communicatio. Ob nervi puncturam (b) in pede sinistro, convulsionem & singultum contumacem passus est vir nobilis. Quidam ob punctum ab imperito Chirurgo in brachio nervum, singultiendo à vita decessit. Mira certè, & vix explicanda sympathiæ phœnomena! convulsivus ergò diaphragmatis aliorumq. inspiratoriorum organorum motus, omnem absolvunt singultus ideam. Cum autem ex se pateat, quæ singultum aliquando comitantur, cardialgiæ, nausæ, vomitus, lipothimiæ explicatio, non diutius circa hanc partem immorabimur.

Singultus sanorum solitarius nihil habet in genere quo terreamur. Non incommodus solùm sed & morbosus evadit propter diuturnitatem, & morborum periculosiorum tunc temporis nuncius evadit præsertim si remediis invitis sæviat. Qui animi pathemati cuidam ortum suum debet deleto pathemate deletur & ipse ut plurimum.

Febres, *singultuosas*, cat'exochen, Commemorat Hippocrates, (c) easque periculo plenas prædicat, ut pote quæ inflammati stomachi, hepatis, tenuisque intestini sortem sequantur.

faj Idem pag. 43.

fbj Novum systema mechanico Hippocraticum pag. 384.

fcj Hippocr. lib. de rat. victus in acutis textu 69. lege et & gal. in comm. & Ballonii concil. lib. 1. pag. 58.

Epidemicæ grassantium febrium, tertianarum, malignarum, comitem sæpè se adjungit singultus, hisce in casibus ut plurimum pertimescendus.

Infausti ominis est singultus ab inflammationibus diversarum partium; & in eâ ratione crescit periculum quâ nobiliora & altius læduntur viscera.

Cum convulsione motibusque convulsivis junctus, summum denotat causæ morbificæ in plures musculos imperium.

Qui gravi cuipiam dolori debetur ut erosioni, rupturæ, distensionem partium membranacearum eximiò sensu donatarum, nisi sedetur dolor, pejus erit, & constans morbi primarii symptoma.

Delirantes, histericæ, maniaci (a) melancholici singultientes, gravissimum aliquando horumce morborum symptoma singultum experti sunt.

Infausta denunciat singultus in ileo, dysenteriâ, graviori vomitû, volvulo, &c. sive eos pertinaciter comitetur morbos, sive post eos invadat.

Itaque jam satis exposuimus & quid sit naturæ conamen, & quid per singultum intelligendum sit, neque pigebit tum ex naturæ conatus edentis tum ex descripti singultus traditâ teoriâ deducere, hunc aliquando esse naturæ conamen quibus aggravatur aut stimulatur incommoda, molientis expellere: sic dum repletio stomachi, vel ejus ab acrioribus succis irritatio singultum procreat, convulsam diaphragma morbum curat per vomitum compresso stomacho excitatum. Sic biliofus singultus per bilem vomitu ejectam evanescit. Verùm si ab aliis causis, ut à punctis tendinibus, ictu capitis aliisque similibus proveniat, in eo casu conamen naturæ impropriè diceretur. Quod de duplici illo casu, de aliis intelligatur, comparatis comparandis.

Omissâ singultus solitarii non morbose curatione, ut pote qui levissimi momenti sit, notabimus quod multiplicia quidem remedia morbose singultui convenient, prudenter varianda, pro variis morbis quorum singultus est symptoma, aut pro variâ causâ idiopathicum producente. Locum igitur habere possunt antispasmodica, antihisterica, febrifuga, vomitoria, purgantia, lenientia, hypnotica, quibus, ut multiplici constat observatione, fugato morbo primario evanescit & ipsemet singultus.

Caveant tamen ne cum pravos succos in primis viis contentos eliminare satagunt, catharticis fortioribus, emeticisque illata stomacho & præsertim orificio ejus superiori vellicatione nimia, singultum adaugeant. Quæ vero præscribenda sunt remedia dum adest phlogosis,

[a] Hoffm. frid. consult. tom. 2. pag. 205.

inflammatio, aut earum metus in ventriculo, intestinis, diaphragmate aliisque partibus, caute adhibenda sunt. Quæ cautelæ practicæ non solum ratione emeticorum & purgantium, sed & aliorum remediorum excalefacientium locum habent.

Singultus morboſi generice conſiderati genuina curatio hæc eſt: diæta tenuis, venæſectio sæpius rariuſve inſtituta, purgantia prudenter exhibita, præcipuè autem tunc præſcribuntur narcotica, quæ irritatas nimis & tenſas laxando fibras, impetumque ſpirituum compeſcendo morbum sæpius curant radicitus.

Ex dictis colligitur ſingultum tum idiopathicum, tum ſympathicum, tum ſymptomaticum, iis cedere remediis quæ valent cauſam morbificam hunc ſoventem deſtruire. Unde, & juxta omnia à nobis ſuperius commemorata concludimus.

Singultum quemcumque non habendum eſſe ut naturæ conamen in morbos à quibus hicce producitur, ſed quandoque ut effectum ſimpliciter, & aliquando ut naturæ morboſæ conamen. Nulloque ſub reſpectu ſingultum ut ſymptoma conſideratum conſervandum eſſe; ſed econtra fugandum.

QUÆSTIO SECUNDA.

An morſui Viperæ, carnem Viperinam demorſus mox comedere debeat, imo & crudam?

TRIPLEX eſt præcipuum venenorum genus ex triplici regno, animali, vegetabili, mineralique mutuatorum. Diverſa eſt huicce triplici venenoso generi sævitia, diverſos quoque, quælibet ex iis generibus ſpecies fortitur malignitatis gradus. Nemini accurate nota & perſpicua venenorum indoles, de iis à poſteriori tantum ratiocinamur, forſan & à poſteriori in errorem inducimur.

Inter animalium venena ultimum non obtinet locum venenum Viperinum, cujus quanta ſit in humanum corpus malignitas & energia, frequentia nimis exempla comprobant.

Eſt autem Vipera ſerpentinæ gentis ſpecies quæ (ut bene multa ad ipſius anatomen attinentia omittam) ab ipſomet ortu acmen ſuum adeptos dentes gerit, uncos & incurvatos, maxillis mobilibus articulatos. Veſicula flavo liquore plena baſi oſſis primi maxillæ ſuperioris affigitur, cui veſiculæ annectitur ductulus excretorius fibræ muſ-

cularibus longitudinalibus, (a) annularibusque munitus, quarum opo exprimitur flavus humor suppeditatus à vesiculâ.

Summâ cum curâ examinatus illius vesiculæ succus, statim discernenda præbuit (b) oculis microscopio armatis quædam acuta corpuscula liquori innatantia, moxque unita interse minutissima hæc corpuscula, telam extra omnem imaginationem subtilem effecere, quæ licet tenuissima ita firmiter erat contexta ut integra, ab ipsomet observatore, per menses integros fuerit asservata.

Hic a viperâ demorsus dicitur qui aut in unâ aut in pluribus corporis partibus continui solutionem pallus est per infixos viperæ dentes, qui peculiari actione musculari, nunquam satis mirando artificio, cum maxillæ superioris osse primo antrorsum protruduntur. Pars demorsa curiosius examinata exhibet ut plurimum unicam, duas aut plures puncturas, acûs puncturis non absimiles, prout unicum, duos aut plures dentes mordens vipera infixit.

Non eadem est veneni viperini, quodcumque sit, in omnibus viperis malignitas; non eadem in omnibus regionibus calidioribus frigidioribusve ejus sævitia; diversos etiam eventus facit plus minusve irata vipera; quidam etiam volunt diversos esse veneni viperini malignitatis gradus pro variis mole, colore, sexû animalis.

Symptomata morsum viperæ subsequentiâ hæc sunt. 1^o. Dolorem acutum experitur demorsus in parte affectâ quæ rubet, incalescit: livor succedit ad vicina serpens: His accedunt languor totiusque corporis debilitas; pulsus celer fit debilis & quandoque intermittens. Fiunt convulsivi motus quos sudor frigidus comitatur, sed maxime omnium & pertinacissime, muscoli collum, caputque moventes convelluntur: supervenit icterus, magnus & ferme intolerabilis dolor regionem umbilicalem occupat, materies biliosæ evomuntur, morsque pulsat ostia, nisi remediis tempestivè adhibitis causa morbifica eliminetur.

Antiqui existimabant venena omnia in princeps corporis organum, nempe cor, sævitiem suam exercere, & ex parum exacte determinato cordis vitio, symptomatum quorumcumque rationes eruebant. Unde errores multiples nobis ab antiquitate traditi circa veneni viperini naturam & actionem. Neque confertissima à neotericis instituta experimenta, hujusce veneni adhuc-dum extra omne dubium posuere naturam & actionem.

Nihil habet in se dolor, calor, rubor partis demorsæ quod ipsis commune non sit cum aliâ quâcumque solutione continui quam

fa) Mead de Viperâ pag. 40.

fb) Mead de Vip. pag. 9.

comitatur inflammatio: ista autem cum pessimæ sit indolis, livor illicó gangrænam denunciat, quæ serpit pro suó more.

Certum est eò difficilius intra propria vasa moveri sanguinem; quò, iisdem manentibus viribus cordis, resistantiæ partium tum solidarum tum fluidarum adaugentur. Nulla certe notabilis mutatio in compage solidorum recens demorsi deprehenditur; affici ergo fluida, eaque vi veneni fuisse inspissata suspicandi locus est, eoque magis quod frigus demorsum affligens, & in pulsû dilatatae arteriæ, cum quadam mollitie, illud penitus confirment.

Genus nerveum in demorsis notabiliter affectum evidentissime designant motus convulsivi supervenientes. Quonam autem agente excitantur? An quia acriori venenò stimulantur nervi partis demorsæ, & per sympathiam reliquum systema nerveum? An quia subtilior veneni portio statim spiritibus animalibus permixta, hos ab eo quem exigit sanitas statû cogit deflectere, unde motus illorum per canaliculos nerveos depravatus, nunc concitatus nunc interruptus? An quia hoc flamine venenifico inspissatus sanguis, humores quos è sinû suo dimittit eadem labe inficit? An demum quia omnes illæ causæ ad communem effectum tendunt? Quæstionem solvat qui doctior. Dolendum sane nos in animali æconomiâ nullius rei tam ignaros esse quam nervorum structuræ & energiæ, cui tamen omnes humani corporis functiones tanquam causæ deberi docet invicta experientia.

Faciliori quidem negotio & materierum biliosarum vomitionem, & symptomatici icteri procreationem, & dolores in abdomine explicabit, qui sanguinem inspissatum, spirituum aliorumque fluidorum depravatam motum admiserit.

Succus flavus in vesicula maxillæ contentus, tanquam mera salivalis materies à *D. Charas* spectatur, nihilque venenifici in eo esse probare contendit. 1º. Non semel repetitâ experientiâ gustati & deglutiti illius succi, absque ullô subsequente incommodo. 2º. Non infelici ejus mixtione cum sanguine per aperta recenti vulnere vasa. In solis ergo spiritibus iratæ viperæ concitatis totum morbi fomitem latere concludit laudatus author, in his, & *D. Rhedi* experimentis & ferme omnium scriptorum opinioni directe adversans.

Quisnam usus flavi succi, vesiculæ, totiusque maxillarum apparatus in viperâ, si vera sit *D. Charas* opinio? Cur evidentem causam respuere ut mere imaginaria fingatur?

Existimamus igitur venenum viperæ vere nidulari in succo flavo vesiculæ jam descriptæ, & notamus in super, ad explicandam actionem veneni viperini, quod summopere advertendum est, duplex esse partium genus in prædicto succo, spissum unum & fixum, alterum sub-

tilissimum & volatile, verisimiliter (a) alkalinum, & sese mirabiliter in demorsi corpore multiplicans.

Pessimus in genere viperæ morsus, non semper tamen & indubitato ad mortem ducit. Semetipsum à vipera vulneratum (b) coram illustrissimâ Accademiâ Parisiensi, intra breve tempus curavit *D. Charas*. apud acta ejusdem Academiæ notatum legimus venatores pictavienses, certarum plantarum decoctione, levique partis demorsæ scarificatione, prævertere omnes à morsu viperæ futuros eventus. Ferrum parti applicatum, excandescens ad eum caloris gradum qui vix tolerari potest, tanquam eximium in hoc morbo experimentisque comprobatum remedium prædicat *D. Boile*. Pulvere pyrio super parte demorsâ accenso, (c) nulla est alia præstantior apud Americanos morsus viperæ medela. Quam plurima animalia post morsum absque ullo remedio curata vidit *D. Charas*.

Ignis, caustica, scarificationes, ligaturæ, in parte affectâ & in vicinis, intus assumpta cardiaca, sudorifica, alexipharmaca, diversæ viperinæ præparationes totum absolvunt curationis opus, si malum domabile sit.

Multum usitatae sunt apud medicos sanissimos ad invigorandum sanguinem diversæ viperarum præparationes. Ab antiquissimis temporibus viperinæ carnes coctæ eo animali demorsis vorandæ exhibebantur felicissimo cum successu; & quidem motum sanguinis adaugendo, spissiora dividendo fluida, venenum fundendo, & per vias sudoris eliminando curationem adimplent. Quæritur num etiam crudæ comedi debeant viperinæ carnes? licet rariora sint curatorum demorsorum exempla per talem esum, tamen concludimus

Morsui Viperæ, carnem viperinam demorsum mox comedere debere, tutò coctam, imò & crudam posse comedi, minùs jucundo remedio.

f a j Sanguis in pasella effusus inspissatur ab Alkalibus pluribus tum fixis, tum volatilibus oleosis f Boërh. Chem. tom. 2. pag. 239.

f b j Mémoire de l'Ac. des Sciences tom. x. pag. 245.

f c j Ibidem pag. 246.

QUÆSTIO TERTIA.

An picæ & malaciæ chalibeata semper conveniant ?

PICA & malacia pro uno eodemque morbo a quibusdam habentur; considerantur ab aliis tanquam distincti affectus consentientes in genere, in speciè discrepantes: alii vero existimant nullum esse inter picam malaciamque, tum genericè, tum specificè consideratas discrimen, easque tantùm gradû & duratione differre ab invicem. Datur in hoc morbo famis depravatio, quâ, præ bonis alimentis, absurda, prava, inusitata avidè appetuntur. Virginibus mulieribusque maxime familiaris est, utriusque sexûs ætas tenera picam non rarò experitur: rarius apparet in viris; rarissime, si unquam, senectutem affligit. Quæ omnes ab ætate sexûque desumptæ differentiæ, cum inferius assignandâ morbi causâ proximâ optime consentiunt. Quamplures malaciam, a picâ tunc distinguendam, singulatim adscribunt mulieribus gravidis circa tertium aut quartum gravitationis mensem. Horum opinioni favere videtur satis constans hujusce phœnomeni in gravidis observatio, dum econtra indiscriminatim & virgines & mulieres quascumque pica aggreditur, ita ut inter hos affectus distinctio quædam institui posse videatur. Plures caute advertendæ sunt in picâ circumstantiæ; variat enim periculum pro majori vel minori appetitorum absurditate & desiderio. Pica virorum licet rara, nihil tamen habet quod per assignandam causam communem morbificam, saltem proximam, explicari non possit.

Abfurda, prava, ab usu consueto aliena, noxia quæcumque naturalis abhorret fames, felix illud desiderium quo ad ea sumenda impellimur, quibus continuæ quæ fiunt apud nos reparantur deperditiones; ergo pica, absurdorum, pravorum, & inusitatorum avida directe repugnat organorum famis naturaliter constitutorum dispositioni. Porrò neque in salivâ neque in aliis diversis succis oris & stomachi, tali aut tali modo dispositis causam picæ proximam collocari volumus, cum pro rato habeamus aliam semper requiri conditionem proximiorum quæ illam ponat.

Omnes post assumptos cibos certo tempore nova alimenta repetunt; studio acriter incumbens altioribusque contemplationibus raptus, longiorem servat inædiam, sed ultimo tandem famis stimulum etiam invitùs experitur; quod ipsi debetur, machina tunc expostulat

per nervorum sensationi famis dicatorum actionem opportunam, recurrentem, instantem, sive illud fiat per difficilem sanguinis transitum in vasis stomachi flaccidi & corrugati, sive per illatam vim à succis acris oris & ventriculi nerveam ipsius tunicam laceffentibus.

Jam tot fingantur perversorum succorum in ore & in stomacho contentorum species, quot possibiles; quidam ex iis picæ malaciæque causæ determinantes esse poterunt, nullus causa proxima. Læsa imaginatio tale aut tale quid absurdum, noxium &c. Appetens sola est quæ verisimiliter picam malaciæque immediate producit, salivæ aliorumque humorum perversâ indole, adjuvantium aut si mavis, determinantium causarum, agmen ducente.

Ex solâ picturæ cujusdam attentâ inspectione, fervidum absurdumque appetitum aliquando excitari probat observatio. An ex inspectâ tabellâ ad os stomachumque aspicientis refluit humor picam excitaturus? Minime. An subito in corpore genita causâ illius morbi? Ita sane. Sed neque in stomacho neque in ore hanc reperias; læsa fuit imaginatio ad talia aut talia appetenda, prout talis aut talis fuit pictura exhibita. Hæc est tota propositi phænomeni ratio.

Porro in picâ per longum tempus viget hoc absurdissimorum effrænatum desiderium: huic unico veluti est affixus objecto ægrotans, cæterorum parum sollicitus. Cibos ineptissimi aliquando saporis, quandoque absurda, ut carbones, cretam, carnes, piscesque crudos, lignum, similiaque sitienter appetit, neque cessat picæ paroxysmus, quin votis exoptata concedantur. Mirum imaginationis læsæ errorem tunc concupiscentis id a quo sana abhorreret! *Diemerbroekius* non semel diversas picæ species curavit, domesticis injungendo ne coram magistro ægrotante appetitarum rerum mentio fieret, earum vel picturis è domo remotis, interim prudenter bonis cibis sæpius in die oblatis. Non ab assignatâ a nobis proximâ picæ causâ alienus videtur *Riverius*, dum dominantes humores ad absurdorum appetitum phantasiâ movere pronunciat,

Nemo mirabitur picam præsertim in sexum fæmineum grassari, qui attendet mulieres donari organorum structurâ delicatiore, frequentibus in menstruatione læsionibus esse obnoxias, vitæ otiosæ addictas, vividiori gaudere imaginationis vi, unde gignendorum pravorum succorum ampla seges, & procreandæ picæ materies. Si quidpiam prædictorum in viris supposueris, tunc habebis apud eos necessarias condiciones ad proximam picæ causam excitandam; sic aliquando suum in sexû masculinò imperium extendisse videmus picam. Explicatû difficilior quare faber quidam jam senex pluries visus sit

pica vomitibusque laborare, quoties gravida facta fuerat uxor (a)

A quocumque alio morbo pica malaciaque signis jam datis distinguitur; neque filendum est malaciam gravidis præcise competere, & cum picâ non semper esse confundendam, quod sæpe evenit. Vividissime quidem appetunt gravidæ, sed talia appetunt quæ non sunt absona, ut lardum, fructus diversos &c. si autem absurda appetant, imo (quod non inauditum) ipsammet carnem humanam, (b) dabitur tunc pica gravidarum eaque gravissima. In picâ vero semper & essentialiter circa absurda versatur imaginatio. Appetitum depravatum verum & unicum picæ signum pathognomonicum comitari solent succorum aut in quantitate aut in qualitate vitia semper varia pro variis absurdis picæ objectis, nausæ, vomitus, dolores ad stomachum relati, pallor faciem fædans & alia quæ vitium quidem manifestum in humoribus denotant, sed quorum genuina natura a nemine præcise assignabilis.

Ex dictis constat quid sit pica, quænam sint ejus causæ tum remotæ tum adjuvantes, tum proxima: quibus signis dignoscantur ejus & gradus & differentiæ. Neque magni erit laboris prædicere quando ad sanitatem aut ad alios morbos aut ad mortem tendit. Sanitas est ut plurimum felix simplicis picæ etiam protractæ terminus; morbi qui subsequuntur præcipui sunt, obstructions, hydropes, cachexia, chlorosis, febris lenta. &c. Gravidæ circa quartum gestationis mensem solent picâ liberari; quæ si ulterius progrediatur, periculosum. Morte terminari visæ sunt plurimæ picæ species, sed quæ non erant simplices, unde, tunc comites potius & symptomata debent haberi morbi mortem inferentis, quam genuinæ ipsæmet mortis causæ.

Duplex est in genere curandæ picæ objectum, vitia nempe corporis, & errorem imaginationis corrigere. Si prædominetur imaginationis vitium, huc præcipuè attendere debet medicus ut pristinam reddat ægræ imaginationi sanitatem; si magna sint pravorum succorum indicia, ii ita debent oppugnari, ut aut expellantur aut ad meliorem crassim reducantur; in genere corpori simul & imaginationi succurrendum.

Itaque præscriptis convenientibus tum diæticis tum Chirurgicis remediis, corpus purgandum uti decet. Cumque in picâ laborantibus sanguis crassus sit ut plurimum & spissus, primo mitiora, deinde fortiora aperientia jubenda sunt variâ sub formâ præscripta; sin autem acredine peccet sanguis, ut dum piper, sal, calx similiaque devorantur, præmissis præmittendis, ad humectantia, refrigerantia & demulcentia recurrendum, quibus tamen leviora aperientia poterunt per-

(a) Manget. Bibl. Med. pract. tom. 3. pag. 247.

[b] Idem Ibid.

misceri felici cum successu. Lactis usu & aquarum mineralium terminabitur curatio. Cæterum diversi morbi quibuscumque complicatur pica, diversa ætas, diversa temperies ægrotantis variam curam expostulant, prudenti medico discernendam.

Unum sedulò annotabo casum in quo otiosum esse decet medicum, nempe in gravidarum picâ, ubi caute admodum procedendum. Metus enim est ne dum picam curare satagit, iidem remediis abortum inducat, ut aliquando evenit. Insuper ex iis quas gravidæ appetunt, vix quidquam mali eas percipere quotidie experimur, & præterea evanescit ille morbus ut plurimum circa 3^{um}. graviditatis mensem. His annotatis, concludimus.

Ergo picæ & malaciæ chalibeata semper conveniunt, exceptis casibus in thesi assignatis.

QUÆSTIO QUARTA.

An somnambulis curandis plus valeant verbera quam diluentia & humectantia.

SOMNAMBULI seu noctambuli dicuntur, qui se plerumque inficiis surgunt è lecto dormientes, varia vigilantium exercent munia. Singularem somni speciem verè morbosam in somnambulatione agnoscimus; varias instituimus somnambulatorum species, quæ huic morbo, certè admirabili, explicando quidpiam forsan conferent.

1^o. Dantur *Somnambulantes domestici*, illi nimirum qui in somnambuli paroxifmo varia negotia domestica actusque consuetos exercent.

2^o. *Somnambulantes peregrini*, qui minus consueta loca petunt, per vicos & plateas aberrant, huc & illuc peregrinantur.

3^o. *Somnambulantes pacifici*, qui absque ullâ emotione sese gerunt, sive domestica, sive foranea exercent.

4^o. *Somnambulantes pathetici*, qui vivido quodam pathemate affectos se ostendunt, ut irâ, furore, gaudio &c.

5^o. *Somnambulantes immemores*, qui gestorum è somno excitati non recordantur.

6^o. *Somnambulantes memores*, qui manè expergefacti peracta in memoriam revocant.

7. *Somnambulantes*

70. *Somnambulantes sentientes*, qui loquentes audiunt, imò & quæstis respondent.

80. *Somnambulantes insensibiles*, qui, nisi difficillimè, fragore strepitique exfusciuntur, nec interrogati respondent.

90. *Somnambulantes periodici*, qui morbi periodos ad determinatum tale aut tale tempus redeunt experientur.

100. Tandem, *Somnambulantes erratici*, quorum paroxysmi per incerta redeunt temporum intervalla, nullumque servant typum.

Eæ sunt præcipuæ Somnambulorum species ad unum idemque genus referendæ. Vix credibilia sunt quæ de talium ægrotorum gestis enarrantur.

Vigent in Somnambulo, uno eodemque tempore somni & vigiliæ quædam conditiones; hinc duplicis status prorsus oppositi foederatio. Sanus vigilans sensuum omnium internorum, externorum motuumque voluntariorum libero gaudet exercitio. Cessant hæc omnia aut multum debilitantur in somno naturali: sibimetipsi vigilantibus haud imitanda perpetrat Somnambulans, & tunc quidam penitus sopiuntur ejus sensus; nunc oculis apertis non videt, nunc objecta distinguit, dum vocem clamitantis nullatenus audit. Causa movens ad portentosos artuum membrorumque motus edendos sufficit; adeò sensibiles retinæ papillæ, tantâ vibratilitate donatæ fibrillæ nervi acoustici, radiantis luminis, vibrationumque sonorarum impulsibus efficaciter moveri nequeunt; idem tamen est omnium horumce motuum instrumentum, spiritus nempe animalis, eadem est sensuum motuumque moderatrix, substantia spiritualis nostro unita corpori.

Nullus exercetur in nostra machina motus voluntarius, quin, jubente animâ, ad muscolum contrahendum spiritus animales fuerint demandati.

Nervi ritè constituti faciles præstant vias fluxuris spiritibus; cuique musculo nervi sunt dati peculiare; cujuslibet nervi principium, locum determinatum obtinet in substantia alba tum cerebri tum medullarum. Quò frequentius in talem nervum propelluntur spiritus, eò magis trita via, ideoque facilius. Et quidem quos vexant curæ domesticæ talibus aut talibus indulgere solent laboribus dum vigilant: mox in dormientibus, maximè affectorum per diem nervorum vias prosequetur fluidum nerveum minimâ datâ causâ, eosque ad tales motus determinabit, unde Somnambulatio domestica.

Etiam in dormientibus viget imaginatio, quod probant somnia; hæc si per vigiliam versata fuerit circa itinera conficienda, dormientis imaginatio ad talia corpus determinabit. Sic visi sunt somnambuli è lecto surgentes, fenestram conscendere & hinc inde divaricatis cruribus, parietem, perinde ac si equus fuisset voce & calcaribus ad cur-

sum incitare. Quidam in campos spatiosissimaque loca divagantur, mox reversuri unde profecti sunt. Alii scalas ascendere, per vias difficiliore arctioresque progredi firmo pede, sæpius fuere observati. Qui adeo difficilia perpetrabant in somnambuli paroxismo, adstantes neque videbant neque audiebant. Tota somnambulantis imaginatio uni objecto erat affixa, & toti, in musculos incessui & peregrinationi dicatis dirigebantur spiritus animales.

Jurgiosus & contentiosus è lecto surgens arma capiebat, gladiumque furiose vibrabat; Jurgiis & rixis assueta per diem imaginatio facile dormientem ad eadem objecta applicabat.

Gestorum tempore paroxismi reminiscuntur ii in quibus adeo firmiter emporio inhæret factorum in paroxismo idæa, ut occasione idæa affinis, eorum revocetur memoria. Per contraria quid in immemoribus fiat explicatur.

Nulla modo exsuscitantur sensus apoplectici; puncturis sensibilia pro instanti se præbent carotici membra, multo facilius excitatur comatosus. Gradus laxitatis in nervis minor in comatoso, Paulo major in carotico, maximus in apoplectico, mitiora, majora, maxima producit horum affectuum soporosorum symptomata. Ex eadem theoriâ rectò concludas circa sensibilitatem aut insensibilitatem diversorum somnambulantium, nullâ tamen inter somnambulismum & prædictos affectus soporosos institutâ comparatione.

Dari morbos qui periodice, alios qui erraticè recurring norunt clinici. frequentius eveniunt erraticæ somnambulationes quæ sæpius pendunt ab imaginatione læsâ, independenter a quopiam præexistente in corpore vitio. Prout datur causa procathartica, exsuscitantur reditûs paroxismi erratici; si dentur tamen, uti observatum est, tales somnambulationes periodicæ, causam illarum reperias in certâ fluidorum diathesi, & in tali humorum constitutione, quæ certum & exactum temporis intervallum exigat, ut paroxismus producat. Porro cum observatum fuerit plethoram, sanguinis spissitudinem, nimiam rarefcentiam, siccitatem atque alia plura humorum vitia in somnambulantibus extitisse, haud absurdum erit suspicari, non unicum dumtaxat sed multiplex fluidorum vitium huic morbo favere posse tum periodico tum erratico.

Jam vero undenam tanta apud nos somnambulorum varietas, cum omnia nostra corpora componantur ex canalibus varii generis liquores ferentibus, cum apud omnes anima motibus voluntariis præsit, cum illam inter & corpus reciprocum sit, dum vita durat, commercium. Ea facile percipientur attendenti. 1. Varia dari apud homines temperamenta 2. Varios esse apud omnes ferme homines animi affectus. 3. Cuncta hæc mutari & variare ratione ætatis, victûs

consuetudinis. &c. Vigilat ne somnambulus an dormit? Quam vana circa hæc a nonnullis commemorata! Nos somnambulationem spectamus ut somni morboſi ſingularem ſpeciem, quæ cauſam proximam in imaginationis vitio agnoſcit.

Ex dictis ſomnambulium dignoſcere ejuſque ſpecies aſſignare haud arduum eſt. In genere periculoſum non eſt per ſe, & plerumque cum creſcente ætate evaneſcit juvenes potiffimum aggrediens. Attamen non omnino negligenda eſt ipſius cura, cum in morbos convulſivos & ſoporofos poſſit degenerare, cumque inſuper vita ſomnambulorum, peregrinorum præſertim & patheticorum multum sæpè periclitetur.

In ſomnambulationis curatione, ſemper attendendum erit ad quam ex ſpeciebus a me aſſignatis referri debeat morbus tractandus, exinde enim magna affulgebit lux in ſeligendis remediis. In genere, cum conſtitutio humorum in ſomnambulis vergat ad indolem eorum qui vigent apud melancholicos, ideò non multum diſſimilis in utroque caſu inſtituenda erit curatio.

Hæc curatio duplici ſub reſpectu conſideranda eſt, nempe extrà paroxiſmum & in paroxiſmò. In primo caſu ad venæ ſectiones primò ex brachio, dein è talo recurrendum eſt; poſt ad purgationes, mox ad balnea tranſeundum; acidulæ poſtea epotentur, ſi per anni tempeſtatem licuerit; quibus omnibus uſus ſeri lactis poterit ſuccedere. Quæ ſi irrita ſint, convenienter repètantur. In ſecundo caſu, nempe paroxiſmo excitandus eſt æger, ſummè increpandus, imò & verbera tunc optimè indicantur, quibus plures ſanatos fuiſſe conſtat, emendatâ ope verberum imaginatione. Cavendum tamen né in quodam verſantes periculo excitentur noctambuli, ſubitus enim pavor evigilationem ſubſequens, & antea contractorum muſculorum relaxatio, in diſcrimen vitæ eos conjiceret. notandum eſt sæpe ſufficere verbera, abſque eo quod remedia interiora aſſumantur, quæ tamen locum habere debent dum notabile apparet in humoribus vitium. Undè concludimus

In Somnambulis curandis verbera plus valere in paroxiſmo, cum cautelis prædictis, minus extrà paroxiſmum: diluentia autem locum habere præcipuè in obſtinato ſomnambulo verberum efficaciam eludente.

QUÆSTIO QUINTA.

An omnia corporis humani vasa perspirabilia sint , eademque sit perspirationis cutaneæ & sudoris via ?

DUO sunt propositæ quæstionis membra, 1^o. An omnia corporis humani vasa perspirabilia sint, 2^o. Num eadem sit perspirationis cutaneæ & sudoris via. Utrumque sigillatim pertractabimus.

I. Nullum datur corporis humani punctum sensibile quod vasis non sit contextum ; nullum vas quod humores non contineat : partem quamlibet acu pungas, ex solutâ partium unitate humores fluentes percipies, ergo toti vasculosi sumus. Si à minutissimo aculeo facta sit punctura quidpiam effluit serosi dilutissimi ; si à paulo majori, sanguis exit, si à stilo crasso satis copiosus promanat sanguis, ergo. diversam diametrum obtinentibus vasis componimur, diversos coercentibus humores. Nervi non sentiunt nisi per tenuissimum spirituosumque fluidum in fibrillâ quâlibet contentum, undè facilis conclusio corpus humanum esse veram machinam hydraulicam.

Elementaribus fibris, nullâ arte detegendis, fibra prima efformatur quæ vicinis unita quidpiam simplicissimum membranofum efformat, cujus circumvolutione vas simplicissimum, atque sic gradatim machinæ nostræ partes sensibiles exurgunt, ut inter plurimos de iis optime scripsere summi viri. (a)

Ex se non moventur humana fluida, motum igitur accipiunt à solidis, semel acceptum aliquandiu conservant, unde eorum reactio in solida, & consistit vita in illâ reciprocatione. Major est fluidorum motus in majoribus vasis, minor in minoribus. Contracto corde sanguis è ventriculis transit in arterias ; neque solæ arteriæ communicatam à corde contracto impressionem recipiunt, cæterorum quorum libet vasorum fluida eodem instanti propelluntur. Sic quasi totidem cuneolis, arteriosus sanguis venosum propellit in venis sanguiferis, lympham in arteriis lymphaticis, alia quælibet secernenda in secretoriis organis, fluidum ipsummet nerveum intrâ fibrillarum nerveorum canaliculos. Porrò quod libet ex his fluidis, dotibus peculiaribus donatum, suis fungetur muneribus, sanguis residuus cordi restituetur,

ſaj Illuſtriff. D. Fizes. conſp. Anatom. mech. & Illuſtriff. D. Boerhaave aphoris. de morbis fibræ ſolidæ ſimplicis.

quod denuò contractum vitam perennabit. Præter ductus secretorios à nullò anatomicorum ignoratos, uti salivales, lachrymales, lacteos, urinosos &c. Universalius datur colatorium *perspiratorium* quo tenuissimæ partes, sub formâ plus minus-ve sensibili avolant. Aperto animalis viventis abdomine aut thorace aut capite, fumus erumpit, totaque madida advertitur peritonæi, pleuræ, duræque meningis facies interior; ventriculorum cerebri cavitas humore madet continuo; sacculus cordis, pericardium dictus suum habet peculiarem humorem; oculorum utraque camera aquâ repletur; ad solis radios vaporis tenuissimi umbram è capite exhalantem vidit *Winsloiius* minutissimarum machinæ humanæ rerum scrutator indefessus; inter respirandum vaporosi fluctus ab ore emergunt. Politissimi speculi glaciem deturpat approximati digiti extremitas; pars denique humani corporis nulla, sive ad exteriora sive ad interiora patens, sive intra intimam viscerum substantiam collocata quæ continuis non gaudeat halitibus, & ab exterioribus ad interiora, & ab interioribus ad exteriora. Porro nullum est in designatis partibus vas sensibilibiter apertum quod hosce evomat humores, reliquum est igitur eos aut per insensibilium vasorum oscula, aut per eorundem poros exhalare.

Nihil autem mirum tam universalem apud nos fieri exhalationem, cum corpora omnia continuò sui effluvia dimittere experientia comprobet (*a*) Quantus sit in homine continuarum harumce exhalationum usus, norunt non solum physiologi, sed etiam clinici; quot morborum causas, præpedita illa in quâcumque parte corporis exhalatio non suppeditat. Multiplici igitur argumento demonstrari posse autumamus, omnia corporis vasa esse perspirabilia.

II. Quæ totum obtegit corpus membrana exterior *Epidermis* dicitur seu *Cuticula*, nullo sanguineo vase donata, (*b*) tenuis admodum, in exteriori suo textu squammulis minutissimis confecta, intus polita, ab expansione innumerabilium papillarum nervearum cutanearum juxta *Ruyfchium* (*c*) a corpore reticulari Malpighiano juxta *Winsloium* (*d*) orta, torsan & a summâ cute exsiccata, ut meditatus est *Morgagnius*. (*e*)

Cutis epidermidi subjacens, multo crassior, vasis sanguiferis, secretoriis, glandulis miliaribus a sebaceis distinguendis dives, ornata filamentulis nerveis, sub epidermidem emittentibus papillas diversæ figuræ, ablatis epidermidè & corpore mucoso, summe dolorificas, ve-

fa Boyle experimenta.

fb Ruyfch. thes. anat. III. adv. decas III. pag. 26. & seq.

fc Ruyfch. thes. anat. II. S. IV. N°. 6. thes. anat. III. N°. 13.

fd Winslow traité des teg. art. 35. & 40.

fe Morgagn. adv. II. animadv. III. pag. 13.

rum tactus organum. Tot (a) foraminibus pertusa est cutis, quot exhalantia absorbentiaque in eâ prominent oscula.

Duplex fit in colatorio cutaneo humorum secretio, altera sudoris altera perspirationis insensibilis. Plurimorum annorum laboribus, multa curiosa circa hanc rem detexit *Sanctorius*: mox familia tentavit in Britannia *Jacobus Keil* & in gallia *Dodart*, undè in physiologia summa affulsit lux circa perspirationem, imo & plura utilia praxi advennerunt.

Quâ via fiat perspiratio cutanea, an eadem quâ sudor? ultimum hoc est propositæ quæstionis punctum jam solvendum.

Per poros cutis perspirationem fieri plures existimarunt, imò & idem sensisse videtur *Sanctorius*. (b) Sed caveas ne celebris ille auctor per hosce poros intellexerit simpliciter interstitia squammularum epidermidis quibus subjacent secretoriorum cutis vasorum oscula. Tunc enim suffragantem haberemus sanctorium, cum existimemus, non per poros, sed per vera secretoriorum vasorum aut glandularum oscula tum sudorem tum perspirationem è corpore expelli.

Continuò copiosissimèque perspiramus, datâ tantum occasione sudamus, ut post exercitia valida. Subtilissima est transpirationis materies, crassior multo materies sudoris. Et quidem duplicem admittendam censemus sudoris materiem. 1o. Crassam unam secretam ex arteriis cutaneis sanguineis, vasa secretoria in glandulas cutaneas emittentibus, ibi hospitantem, crassiorem factam, motu muscutorum Vicinorum, dilatatione vasorum circumjacentium, actione forsan membranæ propriæ quâ glandulæ cutaneæ amiciuntur, expressam: flavo colore tingentem quibus induimur vestimenta hic magis illic minús; nihilque cum fluido transpiratorio commune habentem.

2o. Tenuiorem sudorem qui easdem sequitur vias ac transpiratio insensibilis, sed continuo non excernitur: exprimitur autem pellentium virium excessu supra vasculorum cutaneorum transpiratoriorum resistantiam, aut suâmet attenuatione, quâ aptior fiat ut minuitissima hæc vascula subeat; sive utriusque conditionis concursu, sive demum spontaneâ colatorii cutanei relaxatione: sic in pluribus morbis criticos advertimus sudores; quotidie artis ope movemus sudorem per medicamenta quæ valeant serum attenuare, & versus colatoria transpirationis determinare. Tandem in agone mortis copiosus frigidissimisque sudor per membra diffunditur. Ast absque ullo alio adminiculo, solis cordis viribus intra vasa propria propellitur humor transpiratorius, sicut & in sua vasa propelluntur reliqui secernendi humores.

faj Leuvenock experiment.

faj Sanctor. sect. I. aphoris. 5.

Eodem tempore sudoris transpirationisque materies communi offeruntur colatorio, semper aptus transpiratorius vapor ad illud subeundum, perpetuò difflatur, at assignatis tantum in casibus sudor sibi viam cudit.

Ergo omnia corporis vasa perspirabilia sunt, eademque est perspirationis cutaneæ & sudoris saltem tenuioris via.

QUÆSTIO SEXTA.

Delirii Melancholici theoriam & therapeiam exponere.

DICUNTUR melancholico delirio laborare qui circâ unum alterumve objectum delirant sine febre saltem essentiali. Multiplex est delirii melancholici species: quæ licet in quibusdam accidentibus ab invicem prorsus differant, illud tamen habent commune quod uni aut alteri objecto affixam mentem ægrotans habeat.

Proprium est delirii cujuscumque peccare in judicii exercitio independenter ab ullo voluntatis imperio; porro cum judicii actus nihil sit quam idearum plurium animæ oblatarum comparatio, ita ut aut uniantur aut separentur, sequitur toties futurum esse errorem judicii quoties uti decet non instituetur talis comparatio, quæ ut recta censeatur, ideæ oblatae debent objectis externis respondere. Unde si penitus rem scrutemur videbimus duplicem præcipuum esse deliriorum fontem, scilicet. 1º. Dum imaginatio nobis ea representat quæ reipsa non existunt, iisque assentitur judicium, hinc morbosa idæarum representatio & unio. 2º. Dum ab imaginatione oblata animæ idæas per objecta externa excitatas parum recte concipit facultas intellectus; hinc falsa idæarum aut conjunctio aut separatio; & consequenter in utroque casu erronea judicia delirium ponunt; quorum primum imaginationi læsæ primario adscribendum est, alterum immediatæ læsioni judicii, & hæc ultima species gravis minus, cum cerebro minus altè defixum vicium denotet.

Falsa in delirio melancholico judicia corrigi nequeunt propriâ ægrotantis attentione, neque adstantium sanorum argumentis validioribus, unde suspicandi locus apud melancholicos vitium judicii vitio imaginationis succedere, eosque eo magis in errorem induci quo sæpius iis offertur delirii objectum. Quare patet ratio cur melancholicum ingravescat delirium quâ proportionem ad cogitandum de delirii objecto

sæpius ægrotantes impelluntur, datis tunc & imaginationis læsæ & erronei iudicii paroxiis frequentioribus; anima enim delirii causæ ita assuefit, ut è suo errore vix postea avelli possit.

Inauditum quam diversa sint & multiplicia melancholicorum deliria. Videntur tamen ad tres clâsses posse reduci.

I. Dantur melancholici quorum error in semetipsos refunditur, ita ut se commutatos absurdè credant, sic videas qui se vitrum, testam, Butyrum existiment, alios qui se feles, Canes, Lupos, firmiter teneant, hinc *Galeantropi*, *Lycantropi*, *Cynantropi*. Sunt qui Reges, Deos, Sanctos, Dæmones se habent, imo & visi sunt qui se vere mortuos existimantes, plerasque viventium functiones exercere renuebant.

II. Dantur melancholici qui in iis objectis externis quæ sibi representantur ea advertunt quæ reipsâ non sunt. Sic equi effigiem in ave volitante aliqui sibi representant, sic aquis submersam totius orbis faciem quidam vident.

III. Sunt tandem tertiæ speciei, quorum delirii objectum neque in seipsis, neque in objectis externis sibi oblatis collocatur, sed in iis quæ licet omnino absentia, tamen melancholico præsentia videntur; tale delirium in iis advertimus qui in libero aëre flammæ volitantes, latrones sibi semper insidiantes imaginantur. In hocce ultimo delirio imaginatio fingit quibus iudicium assentitur, in duobus prioribus quædam in objectis representantur omnino diversa ab iis quæ in eodem objecto præsentia sunt.

Rara est *Melancholia attonita* in quâ æger loco non movetur, sedens nunquam assurgit, stans nunquam sedet, jacens nunquam se erigit nisi ab astantibus provocetur, objectis externis non attendit, interrogatis non respondet licet videatur attendere. de quâ vid. Bellini de de Morb. cap.

In quâcumque delirii melancholici specie semper malè se habet quoddam punctum illius cerebri partis quam emporium nominant; sive huic vitio occasionem dederint objecta externa, sive independenter ab objectis externis talis fuerit emporii dispositio, quæ ad talem idæam excitandam requiritur. Hinc prædictarum delirii melancholici differentiarum eruenda ratio.

Distinctum est cujuslibet fibræ medullaris in cerebrô principium. Deus autem eas statuit leges animam inter & corpus ratione quarum tali modo (certè ineffabili) mutatis harumce fibrarum principiis tales excitantur idææ quæ iudicii balance ponderantur: sive igitur non, uti decet, illæ fibræ moveantur, sive motionem illarum subsequentes idæas malè discernat iudicium, delirii ponetur conditio sufficiens. Unô verbô iteratis in delirio melancholico quarundam cerebri fibrarum oscillationibus tali excitandæ idææ, destinatarum,
morbose

morboſé tunc laborant illæ fibræ illæſis cæteris cerebri partibus, ita ut anima de cæteris fané judicans, delirum hâc de re judicium cogatur elicere.

Mites ſunt ut plurimum & pacifici melancholici, imo & meticuloſi, ſæpé ſuſpirantes, dum è contrâ furor & audacia in phrenitico maniacoque delirio eminent. Et fanè nulla forſan apud phreniticos maniacosque eſt emporii fibra quæ ſeſe malé non habeat, undè per ſummam totius emporii tenſionem & vibratilitatem, vividiffima pathemata minimâ datâ cauſâ procreantur; dum econtra pauçæ affectæ apud melancholicos fibræ, minorum certè ſunt accipiendarum & comunicandarum impreſſionum capaces: quosdam autem melancholicos iracundos & audaces, anxios, huc & illuc divagantes eſſe ſuſpicamur, quia morboſa exiſtit in quam pluribus fibris emporii diſpoſitio, quæ proxima eſt ad maniam conſtituendam propenſio. Vel in unico vel in paucis objectis errare melancholicos non mirum, cum omnes fibræ emporii diſtinguantur, peculiareſque ſint unicuique earum functiones. At gradus melancholiæ ſemper reſpondet læſioni prædictarum fibrarum.

Obſervatio edocet melancholiam produci ut plurimum à diuturnis altioribusque meditationibus, curis, ſubito vehementiorique terrore, extremis vitæ periculis, vigiliis immodicis ſimilibusque: quæ omnes cauſæ placidò animi & corporis confortio directè adverſantes, talem poſſunt impreſſionem in tali emporii fibrâ relinquere, ut ea præ aliis deinceps morboſè moveatur. Diximus autem cuilibet fibræ ſuum munus eſſe peculiare & proprium, unde conſtat evidentiffimè è cauſis prædictis varias melancholiæ ſpecies ſubſequenturas eſſe: neque obſtat, ab externis hiſce cauſis præſcindendo, delirium melancholicum produci à vitio interno, ſolidorum conſiſtentiam ità pervertente, ut in quibusdam cerebri fibræ tenſio præternaturalis excitetur; ita immutando craſim fluidorum, ut ſanguinis partes viſcidæ, craſſæ, malè cohærentes; inæqualiter fluentes; pravæ indolis ſpiritus animales ſuſpeditent; undè præter naturaliter tenſæ quædam emporji fibræ, neceſſariam melancholiæ conditionem ponant.

Conſtat fideli morborum historiâ, ſæpé fordes pravosque ſuccos ſanguinis oceano permixtos, ut in quibusdam malignis febribus, deliriorum febrilium, univerſaliumque cauſas exiſtiſſe: cur iidem ſucci minori malignitate donati pauciores cerebri fibræ lædentes delirium particulare, melancholicum non producerent?

Diverſæ cognoscuntur delirii melancholici ſpecies per diverſa quæ relata ſunt cujuſlibet ſpeciei phænomena: at proprium eſt & indubitatum melancholiæ omnis ſignum, in paucis delirare & de aliis rectè

discurrere. Quidam, ut antecedentia admittunt melancholiæ signa, somnos breves & interruptos, somnia turbulenta, vertigines, aurium sonitus; sed hæc omnia dubia sunt.

Melancholia simplex nihil firmè habet periculi, cum hoc in morbo nullatenus lædantur functiones vitales. Cum affectione hypochondriacâ sæpè complicatur, difficilimè sanatur, firmè numquam radicatus, gravis evadit si abeat in epilepsiam; varicum hæmorroidumque effluxu critico evanuisse visa est. Causæ variæ, signa diversa, varium ægri temperamentum, ad eum judicandum morbum nos dirigunt.

Duplex est præcipuus in delirii melancholici therapeiâ adimplendus scopus, mentem melancholici ab eo cui inhæret objecto avertere, vitiaque tum solidorum tum fluidorum causam proximam morbi foventia emendare.

1^{um}. Obtinetur præsentium melancholici oculis rerum varietate, facetorum hominum colloquio, frequenti equitatione, variis corporis exercitiis, amotis quibuslibet delirii objectis, fugâ solitudinis. His enim juxtâ solertis medici prudentiam præstitis, sensim fibræ empirii morbosæ, in statum naturalem poterunt restitui, & fieri inhabiles quæ tam vividè vibrentur in posterum.

2^{us}. Scopus exigit, humorum visciditatem, morbi sæpè fontem, imò & solidorum tensionem nimiam oppugnare: ad hæc proderunt diluentia, humectantia, incidentia, balnea &c.

Notanda est quædam delirii melancholici species in quâ aves, feles, catulos, ranas, millenaque alia se fovere existimant ægrotantes in capite, ventriculo &c. Tunc quidem vomitorio dato, aut levi incisione facta in capite, astutè delirii fomes, ægrotantis sub oculos ponitur tanquam è corpore extractus: unde fausta sæpè imaginationis curatio & consequenter delirii melancholici.

Sic exponimus delirii melancholici theoriam & therapeiâ.

QUÆSTIO SEPTIMA.

An Peripneumonia hieme periculosior sit quam æstate? & in utrâque tempestate eâdem methodo sit curanda?

QUOTIESCUMQUE in ultimis arteriis pulmonum copiosus hærebit sanguis in particulis suis vehementius commotus, difficile tranans per propria vasa, interea vigentibus motibus cordis & syste-

matis arteriosi, toties dabitur peripneumonia, quæ pathologicè definita, est notabilis pulmonum inflammatio, practicè vero cognoscitur per difficultatem respirandi, dolorem pectoris, ut plurimum gravativum, febrem acutam, tussim & sputum materie subflavæ, sæpius sanguinolentæ.

Nulla est pars corporis quæ tam patiatur à sanguine è corde propulso ac pulmones; hinc accidit quandoque totam ferme pulmonum substantiam inflammari, unde peripneumonia universalis; ea particularis censenda est quæ totum non occupat pulmonum spacium. Vel superficies illorum à pleurâ obvestita inflammatur, vel profundius lates infigitur, unde pulmonum, erysipelas & phlegmo. Siccam ab humida, diopathicam à symptomaticâ, levem à gravi, simplicem à complicatâ distinguere convenit.

Status pulmonum inflammatorius potest poni à quâcumque causâ externâ, internâ quæ valeat assignatas peripneumonix conditiones procreare. Hinc in omni febre frequentioribus cordis contractionibus, major dato tempore quam in statû naturali, propellitur sanguinis copia intra vasa pulmonum, cui recipiendæ imparia, infarciuntur, unde causa occasionalis peripneumonix febribus supervenientis. Jisdem effectibus producendis aliquando sufficiunt, motus vehementior, tussis valida, exercitia violentiora.

Innumera à parte aeris experiri potest nocumenta pulmonum substantia; cum enim ad vitam conservandam alternis vicibus necesse sit accipere intra pulmones aerem mox expellendum, nullum est in aere vitium quod pulmonibus non possit communicari. Si talis sit morbosa energia in aere, qualicumq. modo vitiato, ut vel pondere, vel nimia econtrâ levitate, aut siccitate aut humiditate, aut etiam tetrâ venenatisq. qualitatibus, vesiculas pulmonales afficiat; ita ut *Rete mirabile malpighianum* parum aptum evaserit ad transmittendum sanguinem è finibus arteriarum in initia venularum, aderit causa peripneumonix.

Plethora & quidquid huic favet, solitæ evacuationes suppressæ, præpedita præsertim transpiratio, raptus materie cujusdam tum à superioribus, tum ab inferioribus ad pulmones, per *anarropiam* & *catarrhopiam*, rarefcentia sanguinis, ejus spissitudo & acrimonia, totidem sunt causæ quæ, si antecedens vitium in pulmonibus fuerit, peripneumoniam poterunt producere, imo & etiamsi bene constituti sint pulmones, illos è statu sano pedetentim vel illico deturbare, unde rursus peripneumonix locus. Animi pathemata peripneumonix non semel causæ fuere, ea lege ut ob talem animi commotionem talis facta fuerit in corpore mutatio, ex quâ morbus secutus fuerit, sed

nihil amplius scitur. Rem ut contraham, causæ peripneumonix vel agunt immediatè in solida pulmones constituentia, vel in fluida continuo in pulmonibus circulantia; vel à longo tempore eæ causæ in pulmonali substantia fuerunt præter naturam præparatæ.

10. Si eæ causæ solida aggrediuntur, vel agunt in vasa sanguifera nempe arteriam venasque pulmonales, arteriam venamque bronchialem; vel in vasa lymphatica, vasorum nerveorum involucra, vesicularum membranas & consequenter vasa & ductus secretorios intra eas repentina, ductus bronchiales diversi ordinis, cartilagine, membranas cartilagineum defectum supplentes, fibras carneas seu musculos mesochondriacos, glandulas diversas, substantiam intervesicularem, interlobularem, pleuram denique pulmonalem.

20. Si agant in fluida, totuplicia reperient quot fuerunt enumerata vasorum glandularumq. genera.

30. Dantur vitia in pulmonibus quæ possunt spectari veluti causæ futuri morbi proægumenæ, talia sunt lapilluli in pulmonibus geniti, hydatides, tuberculi duri, aneurismata, varices, materiei noxiæ in cavo vesicularum aggregatio, dispositio fibrarum ad crispaturam & spasmus, innata debilitas, &c. quæ omnes tum procatarticae tum proægumenæ possunt conferre ad peripneumoniam producendam, eo modo quem quisque gnarus rerum anatomicarum facile percipit.

Quædam sunt peripneumonix accedentis præludia, ut horror & rigor, nausea, vomitus, calor totius corporis, fitis intensa, dolor capitis, genarum rubor, sensus ponderis pectus aggravantis, tussis molesta: quæ omnia denotant præsentiam causarum inflammationem pulmonalem molientium, sed non sunt univoca.

Inter signa pathognomonica, statim recensemus difficultatem respirandi doloremque gravativum pectoris. Et quidem ut liberum & cum facilitate exerceatur respirationis negotium, plura simul concurrunt, inter quæ non ultimum obtinet locum libera vesicularum pulmonalium expansio, cui obstant inflammata pulmonum loca. Sanguis aggestus difficilè permeans sua vasa, quolibet instanti, mole auctus, parietes distrahit, novisque continuò advenientibus cordis impulsibus intra obstructa vasa fortiùs adigitur, vehementiùs commoventur ejus particule, distrahuntur nervi per membranas vasorum disseminati, undè dolor obtusus si pulmonalem substantiam mollem teneat inflammatio, acutus si exterior pulmonum pleura inflammetur, pleuritico dolore semper minùs punctorius: tussiendo exacerbatur ille dolor, quia viribus expiratoriis in tussi validè agentibus fortiter compressi pulmones, majorem coarctationem experiuntur, undè quandoq. imminens suffocatio.

Febris

Febris acuta peripneumonix comes individua, cum totius sanguinis motum adaugeat, frequentiori sistole magnam sanguinis copiam ad vicinos pulmones validè propellit; & cum ibi obstacula reperiantur a parte obstructorum vasorum, ibi tunc fiet nifus & renixus vasa inter inflammata & ventriculum cordis dextrum, minor exoneratio sanguinis è pulmonibus in sinistrum, nova mali incrementa. Irritata facies interna vesicularum, bronchiorumque ab exsiccatis ob motum & calorem, & acrioribus factis lymphæ bronchialis particulis, tussim movebit, quæ sicca erit dum hæc materies pauca aut parum fluxilis in cavis partium prædictarum hospitabitur; mox sibi met vias cudentibus particulis sanguineis trans vesiculas, & cum serò bronchiali permixtis, sputa excreabuntur subflava quæ postea sanguinea evadunt ob congestionem sanguinis in vesiculis; ex iis omnibus, comparatâ nempe structurâ partium & causis prædictis, facile eruetur ratio pathognomonicorum peripneumonix symptomatum.

Ex relatis non solum possumus cognoscere peripneumoniam, sed & etiam ab alio quocumque pectoris affectu distinguere, ut ab asthmate, hæmoptysi, phtisi, vomica, empiemate, &c. paulo difficiliter, sed tamen attendenti satis facile discernetur à pleuritide cum quâ ferè semper complicatur.

Inflammationem pulmonum semper periculosam esse probant tenerima vasa quibus pulmo componitur, motus eorum perpetuus, ingens copia humorum ad hosce propulsores vix in sanguiferis vasis mutatorum, proximitas cordis. Morbus ille multò periculosior si cum pleuritide aut alio morbo inflammatorio complicetur. Qui à rarefacto sanguine, citius plerumque curatur quam qui ab inspissato ortum ducit. Pessimum est si eodem tempore angina peripneumoniaque existant. Superius allatæ differentix, causæ & symptomata, ad peripneumonix prælagendum exitum conferre possunt, num ad resolutionem tendat, num ad suppurationem, num induratione materiei, & mortificatione terminandæ sit. Certa mors est si gangræna supervenerit. Periculosa est ne dicam semper lethalem, quæ induratione & suppuratione terminatur, felicissimus resolutionis eventus.

Cum pateat ex dictis peripneumoniam magnum secum importare periculum, cito ferenda sunt auxilia convenientia. Itaque congruenti præscriptâ diætâ, depletis per repetitas venæ sectiones vasis, cautè perpendendum est an signa sint cacochiliæ in primis viis, pravi que succi illicò eliminandi sunt. Fomes enim peripneumonix ibi sæpè latitat, unde per vias circulationis defertur ad pulmones. Eliminantur autem, modo vires ægri permittant, cathartico emeticorum ope, imò & solis emeticis. Si præceps sit a parte stomachi pravis succi infarcti periculum, mitiora purgantia locum habent, aliis contraindicatis. Purgato corpore, ad venæ sectiones iterum est deveniendum,

tum ex brachio, tum è pede si vel minimum immineat ex parte capitis periculum. Somnus ægro conciliandus per leviora narcotica cum julepis aut emulsionibus permixta.

Ad statum sanguinis per totum morbi decursum attendendum est, num inspissatus sit, num rarefactus? In hocce ultimo casu leviter refrigerantia præscribuntur sub formâ ptisanarum, jusculorum, emulsionum, &c. si prædominetur inspissatio, difficilisque sit expectoratio, lenia incidentia & attenuantia, mira præstant. Si mador cutim perfundat, sibi que viam aperire velle sudor videatur, indicantur sudorifera cum narcoticis mixta. Quibus omnibus præscriptis, si obstinatè perseverent peripneumoniam symptomata, venæsectiones & purgationes hic Adhuc suum obtinent locum. Circa quod notandum tunc Kina kina ritè exhibitum mira præstare, si febrem intermittentem exceperit peripneumonia.

Superius innuimus attendendum esse num indicia forent *cacochylia* in primis viis: & quidem dantur sæpissime, unde *peripneumonia putrida* aut *maligna*, signis peculiaribus discernenda; quibus in casibus non tam venæsectionibus, quam purgantibus emeticisque insistendum; lenientia aliaque in simplici & idiopathicâ peripneumoniâ convenientia hic in usum non sunt advocanda. Si, dum remediorum ope feliciter debellata fuerunt peripneumoniam symptomata, interim adsunt febris exacerbationes, ad pulverem peruvianum rursus recurrendum est.

Jam quæritur an morbus descriptus sit periculosior Hieme quam Æstate, & in utrâque tempestate eadem methodo sit curandus.

Respondeo ad 1^{um}. pleuritides & peripneumonias, Hieme esse vehementissimas, Æstate leviores. Idem pronunciavit jamdudum HIPPOCRATES [a] & huicce divi senis effato favet non solum observatio sed causarum aeriarum peripneumoniam producendæ aptarum explicata actio: minus spisso sanguine tempore æstivo sed è contra rarefacto, facilius per colatorium transpiratorium diffiantur humores sæpius, succedunt sudores critici, hinc in Hieme difficilius destruitur causa continens morbi, facilius Æstate.

Respond. ad 2^{um}. Quod, licet quoad generales indicationes, eadem sit in utrâque tempestate curatio, attamen varianda sit sub eo respectu quod rarefactus sanguis æstivo tempore levibus indigeat refrigerantibus; inspissatus vero hiemali parva incidentia leviterque attenuantia exoptulet. Sunt præterea quædam observanda in therapeiâ ratione summi caloris aut summi frigoris. Et sic quæstionem solvimus concludendo.

Peripneumoniam Hieme periculosiorem esse quam Æstate, & in utrâque tempestate quoad generales indicationes eodem modo esse curandam, quoad vero particulares, diverso modo.

(a) Hippocr. foes lib. de affect.

QUÆSTIO OCTAVA.

An ossa morbo emollita sensus capacia sint?

OSSIUM mollities morbus est peculiaris à quocumque alio ossium morbo vere distinctus; iis qui eo affectû laborant tanta advenit flacciditas in substantiâ ossêâ, omnium partium nostrarum, in statû naturali, haud dubie durissimâ, ut partium ipsis annexarum aut incumbentium vim, ossa sustinere nequeant. Nulla datur ex professo apud antiquos mollitiei ossium descriptio, licet hunc morbum *Fernelius* (a) observaverit in milite quodam cui *ossa crurum, brachiorum, & femorum, tam mollia & flexibilia evaserant, ut ceræ modo facile sequerentur.* Plura circa eundem morbum observavere neoterici, sed pauci circa causam illius morbi scripsere, an vero metam feliciter attigerint, nescio. (b)

In actis eruditorum anni 1691 mentio est de puellâ 30 annos nata quæ in nosocomio Parisiensi decessit, cujus in aperto cadavere. *D. Saviard* Chirurgus Parisiensis observavit ossa extremitatum tum superiorum tum inferiorum, clavículas costas, vertebrae, ossaque ilia, tantâ mollitie predata, ut ad instar pulpæ sub digitis palpantibus diffûerent. In actis Academiæ Parisiensis quam plurima prostant exempla hujusce ossium mollitiei, quæ falso, tanquam morbus *inauditus* sub nomine *carnificationis ossium* prædicatur à *D. Petit* (c) costas sceleti foetus humani jam decem circiter hedomadum, acidiori liquore in quo servabatur itâ mollificatas fuisse ut fili aut funiculi instar torqueri potuerint, asserit *Riuschius* (d) qui pluribus aliis in locis tales factas in ossibus mollities commemorat.

Quomodó solidissimæ fibræ ossæ tantam potuerint in vivente mollitiem adipisci, non ita facile explicatû est. Partes molles in ossium naturam commutari quotidiana demonstrat observatio; & quidem oblitteratio vasorum minimorum fluidis suis orbatorum, coactus ipsorummet parietum, postmodum adepta siccitas, in ligamentata, mox in ossa commutatio, ipsismet viribus vitalibus huic operi famulantibus, tota hæc est partium mollium ossificationis theoria.

(a) Fernelius de abditis rerum causis pag. 616.

[b] Vide aucthores ab Astruc citatos ubi de osteosarcomi lib. 4. de morb. ven. tom. 1.

[c] Histoire de l'Academie année 1722. pag. 229.

(d) Ruysch. Thesaur. anatom. 4. n. 38.

Ergo ratione contrariorum, ampliatio vasculorum intra substantiam osseam repentium, major ad hæc fluidorum appulsus, irroratio fibrillarum ossearum, victa compagis osseæ resistantia, divisio & separatio partium componentium substantiam 1^o. Cellularem, mox reticularem, deinde compactam ipsammet: in hoc, nisi me fallit animus, *carnificationis ossium* ratio posset reperiri.

Attendamus, quæso, ad ea quæ circa ossium structuram nos edocet anatome. Exterius obvolvuntur ossa periosteo vasis sanguiferis ornato, quæ vasa transporos in ossibus optime conspicuos se se insinuant, mox, advertente Clarissimo *Clopton Havers*, repunt illa vasa intra lamellarum interstitia usquequo tandem ad interiorem ossium laminam pervenerint: ibi disperguntur supra tenuissimam membranam ossium cava, cellulasque obvestientem. Ex finibus prædictarum arteriolarum proficiscuntur. 1^o. ductus lymphatici ossium nutritioni dicati, & minima quæque ossea puncta penetrantes: 2^o. Ductus medullares suum evomentes succum, tum in amplas medullæ ossium cylindricorum cavitates, tum in minores substantiæ spongiosæ cellulas. Sanguis residuus in venas infunditur prædictis arteriis congeneres, super periosteum internum repentes, eadem forsitan subeuntes ossea foramina per quæ sanguis arteriosus ad ossium substantiam pervenerat. Nervi quoque vasa sanguifera comitantur.

Ex illis notionibus anatomicis dubia nostra circa mollitiem ossium, nunc liceat discutere. Omnes agnoscunt pro causâ proximâ œdematis in partibus mollibus succum lymphaticum abundantius ad determinata loca delatum, vasa sua dilatantem, emollientem, relaxantem, se intra vicinorum interstitia insinuantem, undè cellularum, vasorum dilatatio, relaxatio, mollities, œdema.... vasa lymphatica, cellulas, similesque quos in partibus mollibus, agnoscimus humores in ossibus. Quare, datâ causâ, fortiori quidem quam in partibus mollibus, sensim & sine sensu substantia ossea non emollita fieret? Huic opinioni eo lubentius adstipulamur quod ex jam relatâ Fernelii observatione confet aluminosorum balneorum ope curatam fuisse ossium mollitiem, & ægrotantem in pristinum vigorem & robur fuisse restitutum.

Dantur differentiæ mollitiei ossium ratione partium affectarum, sic in quibusdam ossa baseos cranii emollita observata sunt, in aliis ossa carpi, in aliis femora, &c. ex species mollitiem ossium particularem constituunt; universalis datur dum omnia aut fermè omnia eo modo afficiuntur quo observatum est. [a] Idiopathica dicitur ea quæ independenter ab ullo alio morbo existit, symptomaticam vocamus eam quæ morbos alios comitatur ut rachitidem, luem veneream, &c.

(a) *Histoir. de l'Academie* 1700. pag. 36.

Quænam præcisè fit natura hujus materiei ossa emolientis vix possumus suspicari. Nonne ad eam detegendam quidpiam posset conferre examen liquorum quibus Ruyschius asserit se ossa emollivisse?

Periosteum internum eximio sensu donatum asserit (a) Ruyschius. Ossa periosteò omninò denudata insensibilia esse existimamus, ut potè donata fibris nerveis nimis intrà substantiam osseam arctatis quam ut vibrationis sint capaces; & insuper cum a solo periosteò nervos accipiant, eo ablato illi destruuntur nervi. An emollita sensibilia sint, nullâ quam noverim constat observatione, Et si ex quâpiam ratione illud deduceretur, maximè quia fibræ nerveæ in emollitis ossibus sui juris fierent & ad vibrationem aptæ; verum eadem causa quæ ossa emollit, fibras illas ineptas reddit vibrationibus edendis. Deficiente igitur experimento contrario nobisque suffragante ratione concludimus.

Ossa mollita sensus non esse capacia.

QUÆSTIO NONA.

An caries idem sit in ossibus, ac gangræna & sphacelus in partibus mollibus?

UT solvatur quæstio proposita, statim determinandum est quid sit & quomodò se habeat caries in partibus duris, quid sit & quomodo se habeat gangræna & sphacelus in partibus mollibus.

10. Cariosa dicuntur ossa, quorum corrupta est substantia, nunc cum integra periosteï ablatione, ossisque denudati colore flavo, fusco, nigro; nunc cum pluribus foraminibus in parte cariosâ quæ exhibet superficiem corrosam, inæqualem & scabram.

20. Gangræna est partium mollium incipiens mortificatio, cum maximâ sensus motusque imminutione, & partis affectæ livore.

30. Partis cujusdam mollis integra mortificatio, cum ariditate, nigredine, & fæto, sphacelum constituit.

Cum ossis corruptio in carie ab eadem ossis parte originem semper non trahat, ideò assignantur quædam cariei differentiæ, ratione partis osseæ quæ primario affecta mox vicinas partes labe suâ inficit. Periosteum exterius vulneratum, contusum, erosum, suppuratum, aëri expositum, aut alio quocumque modo affectum, ita ut sanguis

[a] Ruisch. Thesaur. Anatomic. x. n. 172.

à periosteo substantiæ ossæ suppeditatus, intrâ vasa sua ampliùs fluere non possit, sanguine defraudetur os, succisque vitalibus nutritiis quos à sanguine recipit, actio vasorum intrâ lamellas osseas contentorum pereat, corrumpantur liquores in ossibus stagnantes, destruatür vasorum textura, labes communicetur laminulis fibrisque osseis, omnis ossea compages redigatur in pulverem humidiorē ficioremve; prima hæc est cariei species à periosteo affecto.

Benè se habentibus vasis in periosteo repentibus, talis potest esse sanguinis intrâ vasa periostea propulsi constitutio pravaquæ indoles, ratione cuius obstructions producantur in vasis iisdem osseam texturam directè aut obliquè perforantibus, præpediatur sanguinis circuitus, cæteraquæ eveniant quæ prius dicta. Periosteum internum; erosum, suppuratum, prorsus ineptum quod ab exteriorio periosteo accedentia vasa arteriosa sustineat, venosa trans substantiam osseam ad exteriorius periosteum emittat, humorem oleosum medullæ cellulisque medullaribus suppeditet, vitam demum, quantum ad se atinet, in osse tum interno, tum medio, tum externo conservet, alteram ponet cariei speciem, periostei interni vitio productam. Medulla & ejus membranæ, succus medullaris & illius cellullæ, si tali modo afficiantur, ut motû circulatorio defraudentur humores illis partibus proprii, corrumpantur, serpat corruptio in vicinas partes, quæ jam memorata sunt eveniant, hæc est tertia cariei species orta à regione ossis maxime interiori.

Causæ hujusce ultimæ cariei, licet abditissimæ, locum obtinent haud dubiè in morbis cognitis, ut in spinâ ventosâ: vasa nutritia ossis in culpam sæpissimè vocanda sunt verisimiliter in cariebus venereis: cariei à periosteo externo primariò læso signa, quandoq. sunt sensibus obvia, minus cognita aliquoties, sed semper evidentiora signis aliarum carierum. Aliæ etiam proponi solent in hoc morbo describendo differentiæ, sic annotatur caries sicca & humida, recens, inveterata, &c.

Cum motus vitalis fatiscat in parte mōlli gangrænodæâ, hujusce partis status satis exactè nobis representatur per deperditum motum in omnibus fermè vasis, eo tantum superstite, qui leviusculam & jamjam perituram partis vitam sustentet.

Hæc gradus est ad sphacelum, in quo omnia vitæ abolentur signa, nulla datur vasorum actio, nullus fluidorum motus, nullus sensus, vera mors partis. Omnis autem causa quæcumque, tum interna, tum externa; quæ valeat motum vitalem summè imminuere, aut omnino sufflaminare in parte molli, gangrænam & sphacelum poterit producere.

Caries à causâ externâ orta multo facilius curatur quam quæ à

vitio interno producitur. Gangræna & sphacelus quæ externæ causæ debentur multo facilius curantur, quam quæ à vitio interno producuntur.

Caries syphilitica, aut alterius virtus soboles externis non cedit medicamentis, neque curatur radicitus nisi prius debellato viru. Eadem sphaceli & gangrænæ curandæ methodus si ab iisdem causis oriatur.

Caries prope articulos & in ossibus spongiosis citissime propagatur pessimæque est indolis! Gangræna & sphacelus in partibus multo adipe oneratis, pessimi semper sunt ominis.

In carie abrasis partibus ossibus instrumento gallicè dicto *la Ruginé*, nihil sanguinolenti profunditur, sed sanies tantum ossibus partibus permixta, in humidâ carie; si ad sanas usque ossis partes fiat abrasio, pullulat sanguis: ne minima quidem sanguinis particula ex sphacelatis partibus effluit, nisi ad vicinas partes vivas incisio producat.

Caries in junioribus citius progreditur, tardiori passu in vetustâ ætate: gangræna & sphacelus in juniore ætate mira intra breve tempus assumit incrementa, dum è contrario videtur lentius serpere in provectoribus (a)

Carie affectum os colore mutatur ita ut flavum, mox fuscum, tandemque nigrum appareat; pars gangrænodæa livescens, mutata in sphacelum nigrescit.

Foetet pars cariota, foetet & pars sphacelata. Nulla sanitas ægro tanti nisi sphacelata, & cariota pars, igne, ferro, causticis auferatur.

Pingua oleosaque partibus mollibus inflammatis applicata sæpè gangrænam & sphacelum producunt; eadem ossibus nudis imposita cariem faciunt.

Ex dictis patet eundem esse partis duræ cariote statum, ac partis mollis gangrænodææ & sphacelate: eâ cum differentia quod cum perfectè aboleatur motus vitalis in parte sphacelosa sicut & in parte carie affectâ, perfecta sit inter cariem & sphacelum similitudo: cum verò in gangrænâ aliqua adhuc supersit vitæ scintilla, ideò imperfecta censenda est gangrænæ cum carie comparatio: at si gangrænam incipientem & confirmatam voluerint distinguere, eandemque ponant in carie divisionem, verum erit perfectam esse talem, cariem inter & gangrænam similitudinem: unde concludimus cum distinctionibus allatis.

Ergò caries idem est in ossibus, ac gangræna & sphacelus in partibus mollibus

[a] VanSwieten comm. in Boer. tom. i. pag. 696.

QUÆSTIO DECIMA.

An mercurii corrosivi vis adscribenda acidis nitri, vitrioli & salis marini; an verò tantum salis marini mercurio adherentibus?

NON ratiocinio, sed experientiæ in rebus chymicis est fidendum. Itaque ad solvendam quæstionem propositam iis præcipuè adharebo quæ præclari in arte chymicâ viri experti sunt.

Mercurius corrosivus olim magnâ quantitate conficiebatur apud venetos. Modum quo in eo conficiendo utebantur reperire est apud Tachenium (a) *Hippoc. chymic.* in eo processu capiebantur *mercurii seu argenti vivi libræ 280, mercurii sublimati lib. 20 (b) salis communis, salis petræ ana. libræ 200, capitis mortui reservati lib 50, vitrioli ad rubedinem calcinati lib. 400.*

In quo processu cum reperiantur vitriolum, nitrum, sal commune, multis in mentem venit omnia vel saltem duo ex iis concurrere ad sublimati efformationem. Alio autem modo se se res habet: acidum enim salis marini solum mercurii corrosivi compositionem ingreditur, quod tanquam inconcussum omnibus demonstrandum per duo experimenta sequentia confido.

1um. *Mercurius sublimatus fit quando quatuor partes, v. g. lib. 1 vitrioli ad rubedinem calcinati miscentur cum duabus partibus salis communis v. g. lib. sem. & terendo in vitreo vel marmareo mortario, mixturæ huic coagitur mercurii vivi pars una v. g. quadrans, mixtura in vase vitreo. &c....* *Sthal. fundam. chymic. mihi pag. 28. 2ⁱ tract. tom. 2ⁱ.*

2um. *Sublimatum corrosivum hæc ratione paratur* \mathcal{R} . *mercurii purgati quantum placet, dissolvatur in aquæ fortis qt. sufficit, solutio ad siccitatem destilletur, massæ salinæ residuæ permisceantur salis communis decrepitati partes quatuor. In matratio vitreo colli brevioris instituatür sublimatio, elevabitur massa salina &c.* *Geofroy mater. med.*

Porro cum in processu primo mercurius corrosivus fiat deficiente acido nitri, acidum illud ejus compositionem non ingredi patet (c)

faj Tachenius primus fuit inter chemicos qui modum hunc conficiendi mercurium corrosivum fusè satis descripsit.

fbj Nota mercurium corrosivum in eo processu nihil ad rem facere.

fcj. In processibus si veniat nitrum cum vitriolo, ante sublimationem mercurii corrosivi elevantur vapores multi, rubri, nitrosi. *Tach. loc. cit. Chymie de Lemery. 211. 212. Geof. rapports observ. en Chy. acta Gall. an. 1718. Beguin Tyrocini Chymici 282.*

In secundo deficit acidum vitriolicum, ergo sublimati compositionem non ingreditur.

Jam apparet conclusio cui confirmandæ ultrò se se offerunt chيميци præstantissimi:

Stahlius articulo. de fluidi & solidi commixtorum separatione § 37. part. 2. tom. 2. modum unum conficiendi butyri antimonii, mercurii corrosivi ope commemorans, asserit spiritum salis adhaerentem mercurio ab illo separari destillatione in butyrum antimonii.

Boerhavius tom. 2. chem. pag. 312. sic loquitur... *basis hujus vitrioli (mercurii corrosivi) argentum vivum purissimum, altera pars est spiritus salis marini &c...* & alibi pag. 308. mercurium sublimatum cum hydrargyro & sale marino conficit. Quod experimentum paginam omnem absolvit.

Nouveau cours de Chymie suivant les principes de Newton & Stahl. ubi de mercurio corrosivo, *cette preparation n'est que le mercure uni avec l'acide du Sel marin.*

Macquer. Elemens de Chymie, edita anno 1749. ubi de mercurio corrosivo. *La combinaison du mercure avec l'esprit de Sel forme un corps singulier &c....* scilicet sublimatum corrosivum.

Authoritatum recensitarum veritatem confirmat stilo brevi & energico Tachenius lib. Hipp. Chemic. pag. 153. *mihi.... crevit itaque in pondere mercurius vivus 80. lib. non equidem ex acido vitrioli rubificati sed solo sale communi. Quod sic probo sublimetur idem mercurius eadem proportione nitri, & vitrioli rubificati absque sale communi, tunc ascendit mercurius rubeus (a) nihilque ponderis neque corrosivi acquisivit.*

Priusquam thesim claudamus notandum venit. 1o. Processuum relatorum rationes reddere facile, eum qui elementa chemiæ edoctus tabulam a D. Geofroy excogitatam callet. 2o. Varios sublimati conficiendi modos omnes huc collimare ut vapores acidi salis marini mercurio ignis vi in partes tenuissimas resolutio occurrant, (b) etenim spiritus salis mercurium aggregatum non solvit. (c) ex quibus concludimus. *Ergo mercurii corrosivi vis non adscribenda est acidis nitri, vitrioli, & salis marini, sed tantum salis marini mercurio adhaerentibus.*

(a) Objici posset rubedinem ab acidis nitri & vitrioli provenire, sed evanescit illico objectio si attendatur ad experimentum Tachenii cap. 25. ubi demonstratur, mercurium solum atque sine ulla additione idem exhibere phenomenon.

(b) Vide Macquer pag. 139.

(c) Joannis Henrici Pott. observationes &c. pag. 64.

Accedimus, inquit, ad affectiones acidi salis circa mercurium, spiritus salis si cum mercurio currente etiam diu coquatur, nihil tamen ejus ab ipso imbibitur, mirum tamen est quod si idem spiritus sub halitus formâ cum mercurio concurrat, quod tantam ejus copiam quamvis in formâ siccâ adsumat, ut proinde non immerito miramur, quædam ipsorum affinitas inde concludi possit. Idem asserit Rouellius in codicibus communicatis.

QUÆSTIO UNDECIMA.

An Hysteriæ sal sedativum Hombergii?

UT respondeam quæstioni propositæ, consultum mihi visum est primo exponere quid sit *sal sedativum hombergii*, dein brevem passionis hystericæ historiam enarrare, ex quibus tutò concludere licebit an passioni hystericæ sal sedativum hombergii conveniat, necne?

I. *Borax*, de cujus historiâ satis obscurâ vide (*Stahl* fund. chem. part. 3. pag. 129. mihi) *Geofroy* mat. med.) acta Acad. Paris. passim.) Est sal naturæ non minùs obscuræ : aquâ solvitur, solutio evaporata crystallos exhibet quarum figuram vide in actis Acad. par. 1732. igne mutatur in massam splendentem crystallo similem, quæ aquâ solubilis est, soluta, recrystallifata pristinam formam recuperat. Fusionem metallorum accelerat. Ex borace tali, mixto cum colchotare ab olei vitriolici destillatione residuo, igni satis violento subjectis, *salem sedativum* extraxit *Hombergius* vide acta Acad. Paris. 1703. (a)

Eundem postea *salem acidorum vitrioli, nitri, & salis marini* ope singulis cum borace permixtis, triplici modo confecit *Lemery* (act. Acad. par. 1728. hunc *salem sedativum*, cum aceto & Crystallis tartari idem frustra conficere tentavit. (ibidem.

Anno autem 1732. modum alterum salis sedativi obtinendi crySTALLIFICATIONIS ope proposuit *Geoffroy*, crystallorum figuram descripsit. Idem author *salem sedativum* in spiritu vini aliquantisper calefacto solvi detexit; sale hocce imprægnatus spiritus vini & inflammatus vividam exhibebat flammam. *Salem præterea glauberianum* demonstravit *Geoffroy*, dum sal sedativus fit ope vitrioli vel olei vitriolici cum borace permixtorum, ibidemque terram salis alkalinam in borace reperiri ferè demonstrat.

Nuperrime *D. Baron d'Henouville D. M.* detexit *salem sedativum acidorum vegetabilium* ope è Borace elici posse; præter ea demonstravit boracem componi ex sale sedativo, & basi alkalina salis marini; boracem enim cum sale sedativo, & supra dictâ basi alkalina confecit. (b)

Sal sedativus à prædictis auctoribus rectè prædicatur ut anodynum maxime præstans.

[a] Brevitatis causâ processum hombergianum integrum recensere non licuit. Duas tantummodo curavimus indigitare substantias quæ processum ingrediuntur.

[b] Macquer elem. de chim. pag. 60. 61.

II. Hysteria; seu passio hysterica, morbus est apud mulieres vulgatissimus, numerosissimorum symptomatum agmine stipatus, a veteribus medicis parum exactè definitus, neque adhucdum forsan recentiori & ratiocinanti medicinæ magis cognitus. Ad genus morborum spasmodicorum hysteriam referendam esse censemus, eoque sub respectu duplicem præcipuam statuimus hystericæ causæ sedem, aliam in partibus exterioribus quarum motus ab observatore medico adverti possunt, alteram in partibus interioribus quarum læsiones vel ipsomet oculatissimo medico parum sunt obviæ, solis conjecturis nunc minus nunc magis probabilibus assequendæ.

Triplex est ordo symptomatum hysteriæ. 1^o. Dantur in hystericis symptomata essentialia, aut saltem frequentissima ut ructus, Borborygmi, globi, ut vulgò aiunt, in abdomine motitatio, & ad superiora ascensus, respirandi difficultas, tanta aliquoties ut suffocatas se quolibet instanti existiment, planctus, suspiria, mortis metus constants. Lotii copiosissimè excreti limpeditas.

2^o. Alia sunt symptomata vaga, nunc absentia, nunc presentia, pauciora, numerosiorave, variis in gradibus & speciebus hysteriæ conspicua, qualia sunt cordis palpitationes cum pulsû parvo, debili, intermittente; vomitus materie nunc flavæ nunc viridis, deliria cum risu, aliquandò verò cum fletû, tanti in abdomine aliquoties rugitus, ut a longinquo ab adstantibus audiantur; syncopes ad ultimum gradum provectæ, cum neque sensus neque motus ullus in ægrotante percipiuntur, imò & abolita videatur respiratio.

3^o. Tertii ordinis symptomata, quæ jam prædicta essentialia sive vaga antecedunt, aut comitantur: inter quæ capitis dolores, visus obscuritas, vertigines, tremores, motus spasmodici annumeranda veniunt.

Non eadem in omnibus hystericis apparent phænomena nec omnia simul vigent. Passionis hystericæ exactissimus, haud dubiè, percrutator *Sydenhamus* morbum hunc tanquam hydram in fæminino corpore spectandum esse asserit, imò & assertum probare contendit per ea phænomena quæ non tam librorum lectio, quam experientia propria, magistra haud-quaquam infida, jam olim suggesserat. Nulla igitur corporis fæminini pars, quæ, si *Sydenhamo* fides, passionis hystericæ sævitiam non patiat, cum morbus ille quarumcumque functionum nostrarum læsiones easque sæpissimè graves comites habeat.

Quod fæminis passio hysterica, idem est affectio hypocondriaca viris: ergo adest in utrisque consimilis prorsus & ratione tantum subjectorum differentis morbi subjectum & causa. Unde ex se videntur corruere hysteriæ causæ ad vapores, & ascensum uteri relatæ; neque minus debilibus fundamentis innituntur, repletio cerebri a proluvie ferossâ, sanguinis subtilis & flatulenti in pulmonum vasis

cordisque thalamis aggestio; explosiones tandem Willisianæ quæ ex sanâ medicâ theoriâ fuerunt jamdudum ipsæmet explosæ.

Ex vitio sex rerum non naturalium multiplici erui possunt pro-catarcticæ causæ passionis hysteriæ; innata aut adventitia corporis constitutio causas proegumenas hysteriæ ponit; error in victu, animi pathemata, præcipuas determinantium causarum vices gerunt.

Tensio nimia vibratilitasque totius systematis nervei, unâ cum sanguinis diathesi siccâ, acri, & resinosa, rectè assignantur à practicis, pro materiâ hysteriæ phænomenon; si in minori gradu supponatur hæc fluidorum diathesis, nervorumque labes particularis tantum sit, neque ad totum systema nerveum extensa, minores erunt minusque violenti quam in priori casu hysteriæ paroxysmi: prout isti, vel illi nervi magis tensi erunt, istæ aut illæ affici videbuntur partes, ita ut nunc risus, nunc fletus, nunc palpitatio, nunc colicus dolor, aliaque diversa hysteriæ phænomena exurgant. Mortis metus aliaque diversa hysteriæ symptomata, ad læsas functiones animales referenda, probant, invictè cerebro labem communicari, & reipsâ cum delirio melancholico in aliquibus consonare hysteriam.

Ex jam relatis symptomatibus dignoscitur immînens presensque paroxysmus hystericus, qui non semel cum aliis confunditur morbis, neque toties certè confunderetur, si animo altè infixum haberent practici præceptum Sydenhami suadentis, semper in morbis mulierum minus benè cognitis (a) de affectione hysterica suspicandum esse. Neque parum facit ad diagnosim hysteriæ diversorum temperamentorum cognitio.

Periculosa ex se non est simplex passio hysterica, quæ tamen periculosa evadit si commutetur in alios morbos, ut in violentos motus convulsivos, epilepsiam, affectus soporosos, asphyxiamque, & alios affectus ab observatoribus relatos.

In paroxysmo hysterico ad castoreâ tanquam ad sacram anchoram confugimus, variaque fætida admovemus naribus, spasmos, sedamus narcoticis quæ optimè cardiacis permiscentur, dum constricta à spasmis vasa humores coercent, fluxumque eorum prohibent, quod ex pulsu, dejectis omnino ægri viribus, membrorum frigiditate novimus.

Extra paroxysmum causa morbifica oppugnanda est, præmissis præmittendis, ope leviusculorum aperientium, imò & sæpe martialium; simul prescriptis lacticiis, balneis domesticis, aquis acidulis. Quâ methodo sanguinis partes resinosa dividuntur, acres edulcorantur, siccæ humectantur; systemati nerveo naturalis conciliatur flexibilitas.

& hæc est simplicissima methodus curandæ, aut saltem mitigandæ hysteriæ. Inter antihysterica palliativa non infimum obtinet locum sal sedativum hombergii jam descriptum, anodinum præstantissimum, quo fibrarum spasmus compescitur & cujus experientiâ comprobatur bonus usus. Undè concludimus.

Ergò hysteriæ Sal sedativum hombergii.

QUÆSTIO DUODECIMA.

An nitrum & acetum sanguinis calorem & fluxilitatem augeant vel minuant ?

I. **NITRUM** hodiernum seu salpetræ est sal fossile falsum ortum ex terris & exuviis latrinarum exædificatarumque ædium, è subterraneis antiquorum ædificiorum, excrementisque animalium. Artis ope fiunt crysalli nitrosæ, coloris subgrisei. Nitrum linguæ applicatum falsum est, & frigidiusculum saporem excitat, facile solvitur in aquâ, ignis moderati vi abit in fusionem, deflagrationem patitur, eò melius ad usus medicos quo magis purificatum. Spiritus ejus verum est venenum.

II. Ex vino fermentato fit acetum, spiritus destillatione eruitur, qui nihil aliud est quam pars aceti phlegmatica acidis onerata salibus.

III. Fluidus est sanguis humanus; certus requiritur fluiditatis gradus, ad corpus sanum conservandum; probant morbi aut à nimiâ inspissatione, aut à dissolutione nimiâ: calet totum corpus, motuque crescente calor videtur adaugeri.

Quibus præsuppositis, ad quæstionis propositæ elucidationem accedimus. Circa modum quo nitrum agit in humanum sanguinem, multum dissentientes medicos advertimus. Alii tanquam coagulans, alii tanquam dissolvens sanguinem nitrum prædicant.

Inter eos qui dissolutionem sanguinis a nitro tuentur, eminent *Hoffmannus* (a) qui eam adeo mordicè opinionem defendit, ut pro referendis vasorum obstructionibus nitrum tanquam aptissimum remedium exhibeat.... contrariam opinionem amplexus est *Stahlius* experimentis suffultus (b) quibus constitit sanguinem ex animali mactato pro-

f a J Hoffman de sal med. virtute diss. § 16.

f b J Stahl opusc. chym. phil. med. pag. 468.

filientem, statimque receptum in vase ubi pulverisati nitri certa aderat quantitas, in hoc experimento non solum coaluisse, sed concrevisse etiam in loco ubi portio nitri paulo spissior jacuerat.

Cuinan adhibenda fides? Quam plures alii observatores iis accessere in investigandâ nitri actione in sanguinem. *Boeclerus* [a] ope nitri dissolvit sanguinem è corpore recens extractum, quique frigidâ fuerat inspissatus. Huic *Boecleri* observationi repugnat directè prædictum *Stahlii* experimentum, imo & quotidiana observatio, quâ constat nitro inspissari humana fluida. Sic in quam pluribus morbis ubi adest summus in ore ardor, nitrum sub gargarismi formâ ita succos oris coagulat, ut sensibilibus iis adhærentes partibus percipiantur, magno cum ægrotantis solamine. *Malpighius* [b] drachmas sex nitri dissoluti in venam jugularem canis injecit; copiosus urinæ fluxus animali supervenit quem tamen absque noxâ vixisse testatur observator.

Quidquid sit de illâ experimentorum farragine sibi mutuo contrariorum, veritatem nos quærimus in constantibus phœnomenis quæ apud ægrotantes nunquam fallax natura exhibet.

In febribus ardentibus, magnis intestinorum ardoribus, siti intensâ, præpedito urinæ fluxu ab inflammatis renibus, aliisque quam pluribus morbis ubi omnia turgent ob nimiam sanguinis rarefcentiam; tunc temporis exhibita nitrosa rarefcentiam compescunt, calorem minuunt, unde symptomatum mitigatio. Nequaquam dubia talis videtur nitri actio.

Unico argumento extrâ omnem dubitationis aleam res ponitur. Exterius refrigerat nitrum, hoc sensibus patet. Rarefcentia sanguinis compescitur, quod solius inspissationis & refrigerationis opus est. Ergò in utrôque casu nitrum videtur refrigerare & inspissare. Si qui tamen sint prædici contrarium in ægris se expertos fuisse asserentes, tunc unicum supererit subterfugium, nempe ad temperamentorum diversitates recurrere, variè ab uno eodemque remedio affectorum.

Sitim extinguit sensibilibus acetum, sanguinis rarefcentiam compescit, mira præstat applicatum ad exteriora. Ex dictis probè pensitatis concludo.

Nitrum & acetum exterius haud dubiè refrigerare; interius verò per ea sanguinis calorem & fluxilitatem imminui videri ex iis quæ apud ægrotantes frequentius observantur.

faj Boecler. Diff. Med. de actione nitri in sanguinem.
fbj Malpighius de polipo cordis. sub finem.

ERRATA.

- P** Ag. 7 lig. 25 & vix explicanda, lege. vix explicandæ.
Pag. 8 lig. 1 epidemicæ, lege. epidemicè.
Eâdem. pag. lig. 14 volvulo. deleatur illud verbum.
Pag. 12 not. â. pasellâ, lege patellâ.
Pag. 13 lig. 30 proximorum, lege proximiozem.
Pag. 20 lig. 12 post verbum... *contentum*, addatur unum punctum quod ad prædictorum intellectum necessarium est.
Eâdem pag. lig. 14 elcmentaibus, leg. elementaribus.
Pag. 27 lig. 11 diopathicam, leg. idiopathicam.
Pag. 29 lig. 31 terminandat, leg. terminanda.
Eâdem pag. lig. 41 post verbum... *emetisis*, punctum deleatur & ad lineam sequentem post verbum.. *periculum* transferatur.
Pag. 30 lig. 30 virgula quæ ponitur post verbum *sæpius* transferatur post verbum *humores*.

D. Lamure

- questio 1.^a an contractio musculi à paralysis sui antagonista sit vera convulsio, &c.
2.^a an eruptioni variolarum difficili, laudanum cum cardiacis?
3.^a an possit Empyema per Biveresin expurgari?
4.^a an vulnera capitis sint periculosa Parisiis &c?
5.^a Marasmi Theoriam et Therapeiam exponere.
6.^a assignare diversas Hydroypis abdominalis species, &c?
7.^a an sit aliquod signum pathognomonicum febris, et quale sit?
8.^a cur foetus in utero contentus, urinas nec feces alvina? ejiciat?
9.^a an Empysemati sanguinis missio?
10.^a cur preparata mercurialia ad luen veneream minus valeant, &c?
11.^a Pra:bitis theoriam et curam exponere
12.^a Respirationis difficultatem et frequentiam explicare.

D. Imbert

- 1.^a an singultus quicumque habendus sit tanquam conamen nã, &c?
2.^a an morsui vipere caro viperina mox comedenda?
3.^a an pica et malacia chalybeata semper conveniant?

D. Imbert.

- 4^a. an Somnambulij curandis plus valeant
verbera quam diluentia?
 - 5^a. an omnia corporis humani vasa perspirabilia
sint eademque sit perspirationis et sudoris via?
 - 6^a. Delirii melancholici Theoria et Therapia.
 - 7^a. an Peripneumonia in diversis tempestatibus
eodem modo curanda?
 - 8^a. an ossa morbo emollita sentiant?
 - 9^a. an caries idem sit ac gangraena?
 - 10^a. an mercurii corrosivi vis acidi nitri?
 - 11^a. an hystericis sal sedativum Hombergii?
 - 12^a. an nitrum et acetum sanguinis calo-
rem et flexilitatem augeant vel
minuant?
- 